SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII,

Allocutiones, Epistolae, Constitutiones,

ALIAQUE ACTA PRAECIPUA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII

ALLOCUTIONES, EPISTOLAE, CONSTITUTIONES,

Aliaque Acta Praecipua.

VOLUMEN II. (1883–1887.)



Typis Societatis Sancti Augustini,

DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.,

BRUGIS ET INSULIS.

MDCCCLXXXVII.

Typis Societatis Sancti Augustini, Brugis.

Sanctissimi Domini Nostri

Leonis divina providentia Papae XIII

Allocutiones, Epistolae, Constitutiones.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Dublinensem

DE PATRIAE PERTURBATIONIBUS SEDANDIS.

NOVUM argumentum dilectionis et obsequii tui, aliorumque Venerabilium Fratrum istius regionis Antistitum habuimus in litteris, quas Tu ipsorum mandato et nomine die 4 elapsi octobris ad Nos dedisti, testes egregiae vestrae voluntatis et grati erga Nos animi, ob eas curas quas de prospera rerum Hiberniae conditione gerimus, et ob ea consilia quae per epistolam Nostram die 1 elapsi augusti datam, gliscentibus isthic popularibus motibus, in bonum dilectorum Nobis filiorum Hiberniae fidelium praebenda censuimus.—Est profecto Nobis caussa cur plurimum gratulemur tum Tibi, dilecte fili Noster, aliisque Hiberniae Episcopis, videntes quo studio pro ministerii vestri ratione ad sedandas perturbationes patriae vestrae, et ad dirigendas fidelium vestrorum voluntates incumbatis: tum etiam catholicae Ecclesiae Filiis, qui docilitate animi vestras voces excipiunt, et incommoda adversae fortunae christiana virtute ferentes, animos suos longius quam officium et religio sinit, temere progredi non patiuntur. Quamquam vero Hiberniae fideles illustria sui in religionem studii, et in supremum Ecclesiae Pastorem obsequii testimonia praebeant, postulat tamen adhuc rerum publicarum status ut ea documenta quae ipsis tradenda pro Nostra in ipsos charitate curavimus, prae oculis fideliter habere pergant, cum pravarum societatum asseclae, uti elapsis mensibus evenisse doluimus, non intermittant spes suas in flagitiis ponere, publicas inflammare cupiditates et remedia

1 IANUARII 1883.

Debitae laudes tribuuntur Episcopis et fidelibus.

incommodis graviora quaerentes ea grassari via, quae ipsorum cives non ad salutem sed ad perniciem adducit. — Hinc opus est ut firmiter insideat istius populi fidelis animis, uti iam memoravimus, unam eamdemque utilitatis ac honestatis esse regulam, iustam patriae caussam ab studiis, consiliis, operibus iniquarum consociationum esse seiungendam; ius fasque esse adversa patientibus iura sua rectis artibus persequi, non item a scelere praesidium mutuari; ac divina providentia effici ut laetis patientiae et suarum virtutum fructibus boni fruantur, malos contra vanis laboribus perfunctos gravibus Dei atque hominum iudiciis subesse. — Dum haec commemoramus ex ea cupiditate, qua solatium, tranquillitatem, prosperitatem totius Hiberniae cupimus, minime dubitamus, dilecte fili Noster, quin tu Collegaeque tui concordibus semper animis et caritate fraterna invicem iuncti salutarem operam conferre pergatis, ut Fideles vestri nihil sibi commune esse patiantur cum iis, qui suis cupiditatibus praecipites sese de patria benemereri putant, dum se gravibus sceleribus obstringunt, in eamdem pravitatem alios impellunt, et caussae publicae turpem labem inurunt. — Hoc sacerdotalis zeli ministerio Te nuper praeclare perfunctum esse laetamur, dilecte fili Noster, cum insidias et pericula catholicae isti iuventuti comparata conspiciens, pastoralem epistolam edendam curasti, qua huiusmodi pericula publice denunciares, vigilantiam fidelium acueres, et eorum saluti, nec non religionis et patriae bono consuleres.

Iusta patriae caussa sedulo seiungenda a studiis iniquarum consociationum.

Hae porro tam graves pastoralis muneris curae et publica populi Hiberni caussa omnino requirunt, ut ecclesiastici ordinis viri sese adiutores praebeant Pastoribus suis, ac ipsis in civium animis moderandis et perturbationibus publicis compescendis suam operam fideliter navent. — Verumtamen ad hanc salutarem vim sacri ministerii propriam exercendam, si agatur praesertim de popularibus conventibus in quibus magno animorum aestu de caussa publica disceptatur, et civilium concertationum procellae commoventur, opportunum fore consilium putamus, si firmis iis manentibus quae de iuniore Clero decrevistis, iis tantum eccle-

In civium animis moderandis et perturbationibus compescendis viri ecclesiastici Pastoribus se adiutores praebeant.

siasticis viris eosdem conventus adeundi veniam tribuendam censueritis, in quorum potissimum sapientia confiditis, et in quibus maturior aetas ac usus rerum effecit ut prudentia, consilio et auctoritate praestent, ideoque possint prae ceteris concitatae multitudini ad recta et honesta duces esse, fallacibus improborum iudiciis occurrere, officii rationes tueri, ac defensores esse optimi partium optimarum. — Hac ratione et via sacerdotalis ordo tamquam in specula communis salutis et in praesidio reipublicae a Vobis collocatus, magnas patriae utilitates, in iis quibus iactatur fluctibus est allaturus.

I IANUARI 1883.

Hac demum occasione praetermittere non possumus, quin Te, dilecte fili Noster, aliosque Venerabiles Fratres Hiberniae in partem sollicitudinis Nostrae vocatos peculiaribus commendationis et dilectionis Nostrae sensibus prosequamur, propter eas curas quas ad caussam catholicae institutionis iuventutis vestrae tuendam, et Universitatis catholicae statum conservandum communi studio contulistis, initis consiliis quae necessaria et opportuna tum sanae solidaeque doctrinae adserendae et custodiendae, tum eius fructibus propagandis existimastis.

Gratulationes Episcopis ob curam de Universitate catholica

De sacris autem Seminariis, in eo evigilent cogitationes vestrae, ut diligenter adolescentes ad spem sacerdotii bonis artibus et virtutum exercitatione erudiantur: generatimque cupida philosophiae iuventus instruat sese, quoad opportune fieri potest, Doctoris Angelici disciplina.

et de seminariis.

Summis autem votis a Deo clementissimo poscentes ut studia, consilia et opera vestra sua potenti gratia provehat, Clerum vestrum validum instrumentum suae gloriae efficiat, atque soletur propitius fideles vestros, iisque tribuat ut qui seminant in lacrimis in exsultatione metant, Apostolicam benedictionem praecipuae Nostrae benevolentiae testem Tibi, dilecte fili Noster, cunctisque Hiberniae Episcopis, nec non Clero et Fidelibus fidei vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 ianuarii anno 1883, Pontificatus Nostri anno quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Germaniae Imperatorem

DE RATIONE DISSIDIA COMPONENDI.

30 IANUARII 1883.

La lettera che l'Imperiale Reale Maestà Vostra Ci ha fatto rimettere nel dicembre p. p. per le mani del signor Schlözer, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Prussia presso la Santa Sede, ha confermato in Noi la speranza, lungamente nutrita, di vedere risolute con un completo accordo le vertenze religiose nel Regno di Prussia. L'augusta parola di Vostra Maestà, che si mostra disposta a prestar la sua mano per una revisione dell' attuale legislazione ecclesiastica, Ci fa scorgere non lontana la conclusione dell' accordo. Per tale favorevole disposizione Ci dichiariamo alla Maestà Vostra grati e soddisfatti.

Certa fiducia pacis brevi conciliandae.

In seguito di ciò abbiamo fatto scrivere dal Cardinale Nostro Segretario di Stato al signor Schlözer una nota, che crediamo sia già stata portata a cognizione del governo di Vostra Maestà. In essa abbiamo voluto che nuovamente si assicurasse il R. Governo della ferma Nostra Volontà, anche altre volte manifestata, di permettere ai Vescovi la notifica dei titolari da nominarsi ai beneficii parrochiali. E per avvicinarci il più possibile alle viste e ai desiderii della Maestà Vostra, abbiamo fatto conoscere anche la disposizione in cui siamo di non attendere la completa revisione delle leggi vigenti per provvedere con la richiesta notifica le parrocchie, attualmente vacanti.

Concedit Pontifex ut ab Episcopis fiat notificatio *eorum qui ad beneficia parochialia promoventur.*

Abbiamo però domandato che contemporaneamente vengano a modificarsi le misure che ora vincolano l' esercizio del potere e del ministero ecclesiastico, l' istruzione e l' educazione del Clero, giacchè tali modificazioni crediamo indispensabili per la vita stessa della Chiesa cattolica.

Postulat ut mutentur nonnullae leges,

Essa esige che i Vescovi abbiano facoltà d'istruire e di formare sotto la loro vigilanza e conforme agl'insegnamenti e allo spirito della stessa Chiesa i sacri ministri. Lo Stato

non potrebbe richiedere meno di questo pei suoi funzionari. Parimenti è elemento essenziale di vita una ragionevole libertà nell' esercizio del potere e del ministero ecclesiastico pel bene delle anime. Sarebbe indarno, che si nominassero alle Parocchie i nuovi titolari se questi si trovassero poi impediti di agire in conformità dei doveri che impone l' officio pastorale.

praesertim quae respiciunt cleri institutionem

et sacri ministerii exercitium.

Stabilito l' accordo su questi punti, sarà facile, mediante il reciproco buon volere, d' intendersi anche sulle altre condizioni necessarie per assicurare una pace vera e durevole, scopo finale dei comuni Nostri desiderî.

Intanto preghiamo la Maestà Vostra di accogliere la reiterata espressione dei fervidi voti che non cessiamo di fare per la piena prosperità della stessa Maestà Vostra e della I. R. Famiglia. Dal Vaticano, 30 gennaio 1883.

LEO PP. XIII.

LITTERAE

In forma Brevis

DE COLLEGIO CLERICORUM ARMENIORUM IN URBE CONDENDO.

I MARTII 1883.

BENIGNA hominum parens Ecclesia, exemplis praeceptisque conformata auctoris sui IESU CHRISTI, nullo tempore intermittit saluti generis humani prospicere, ita quidem in universas gentes maternam caritatem partiens, ut quantumvis aut morum varietate differentes, aut locorum longinquitate dissitas pari similique studio singulas tueatur. — Atque hanc praestantiam, amplitudinemque caritatis plane divinam, ex Orientalibus quidem inclita Armeniorum natio multis in rebus diu experiendo cognovit. Eos enim, ut traditum est, partim Apostolorum, partim virorum apostolicorum opera iam inde antiquitus in libertatem filiorum Dei vindicatos, Ecclesia catholica peramanter complexa est : ex eoque tempore satis historiae loquuntur, plurimum in Armenia curarum studiique Romanos Pontifices, decessores Nostros, consumpsisse : idque eo semper consilio ut, quoad per eos fieri posset, conservarentur apud Armenios ea, quae habentur magna in civitatibus bona, nimirum dignitas publica, concordia, tranquillitas, et, quod his omnibus longe antecedit, fidei catholicae sanctitas una cum incorrupta morum christianorum integritate.

Singularis Romanorum Pontificum sollicitudo erga Armeniorum nationem,

etiam recentioribus temporibus.

Quod sane non priscis dumtaxat aetatibus difficilioribusque temporibus, sed recentiore etiam memoria haud semel apparuit. Siquidem Urbanus VIII, admissis Armeniorum alumnis in Collegium urbanum christiano nomini propagando : Benedictus XIV, restituta Patriarchatus Ciliciensis dignitate : Gregorius XVI, ordinata re Dioeceseos Constantinopolitanae, collataque liberaliter opera in hospitalem domum urbanam peregrinis ex Armenia recipiendis, praeclaram voluntatem suam re ipsa testati sunt. Prae ceteris vero permansurum est Pii VIII beneficium et gratia,

cuius potissimum instantia consilioque, adnitentibus Rege Galliarum et Imperatore Austriae-Hungariae, illud est ab Othomani imperii principe impetratum, ut Armenios catholico ritu a schismaticorum antistitum servitute liberos esse pro potestate iuberet. Quo facto Pontifex beneficus et sapiens Primatiali Sede, cui omnes ex Armenia catholici subessent, Constantinopoli constituta, incommodis diuturnis iisque permagnis finem imposuit. Ac simili modo Pius IX vel ab exordio Pontificatus sui oculos in Armeniam singulari cum benevolentia coniecit : et plura decursu temporis decrevit, quae ad publicum eius populi bonum sacraeque disciplinae incolumitatem prodesse viderentur. Quod si his superioribus annis, non sine magno bonorum omnium luctu, rem Armeniorum catholicam casus afflixit inopinatus et gravis, profecto desiderata non est huius Apostolicae Sedis vel constantia vel caritas in extinguenda funesta illa seditionis flamma, quam turbulenta paucorum ingenia concitaverant. Extremas eius dissidii reliquias penitus sublatum iri Dei misericordis patrocinio confidimus, ut ad unum omnes referant sese ad sanctam catholicam Ecclesiam, pristinumque erga Apostolicam Sedem obsequium, cuius retinendi caussa, acerbas Armenii vexationes laboresque vehementes saepe antea memorabili fortitudine pertulerunt.

His, quae commemorata sunt, decessorum Nostrorum exemplis, atque ipsis Armeniorum hominum non exiguis in Ecclesiam officiis permovetur et ad bene merendum incitatur animus Noster, ceteroquin sponte sua propensus in Orientem, magnarum virtutum gloria nobilem, et christiani nominis originibus consecratum. Diu sane in hac cogitatione sumus, qua maxime ratione conveniat operam Nostram in publicam eius gentis conferre utilitatem. In quo genere aliquid iam, iuvante Deo, videmur assecuti ob industriam apostolicam virorum cum e Societate IESU, tum e Scholis Christianis, quos in Armeniam Nos ipsi misimus, quique in institutione litteraria itemque in religiosa tertium iam annum desudant atque elaborant. — Verumtamen maius quiddam efficere est animus, omninoque providere ut, quemadmodum plures ex nationibus ceteris, sic et Armenia

Iamdiu cogitatum de erectione Collegii in Urbe pro Armeniis.

suam in Urbe domum altricem habeat, quo adolescentes indigenas mittat liberaliter erudiendos, et ad sacra munera diligenti praeparatione exercendos. Idoneis quippe sacrorum administris instituendis nuspiam fortasse opportunitas, quam Romae, maior, in hac principe orbis christiani civitate, prope sepulchra Apostolorum maximorum, in ipsis oculis summi Pontificis, qui munere Dei vicario communis est gentium universarum pater, fideique catholicae custos et interpres. — Hoc plane idem caverat mens provida Gregorii XIII, decessoris Nostri, qui, datis in id litteris Apostolicis *Romana Ecclesia* III idus octobris anno MDLXXXIV Collegium Armeniorum in Urbe condendum decreverat. Mors tamen si Pontifici optimo propositi laudem non ademit, certe suscepti consilii cursum intercepit. Diu infecta re, postremo tempore Episcopi Armenii cum Romam frequentes convenissent ad saecularia solemnia ob memoriam principis Apostolorum, oblato ad Pium IX libello, suppliciter oraverant, ut quod Gregorius XIII inchoavit, nec absolvit, auctoritate curaque eius perficeretur. Neque est dubitandum, ad Episcoporum preces exitum celerius responsurum fuisse, nisi caussae variae intercessissent. Nos vero, magna cum divinae bonitatis fiducia, optatum iampridem opus aggredimur : ad cuius perfectionem ac tutelam si nequam tempora patiuntur tantum dare et attribuere, quantum et voluntas ferret et res ipsa postularet, confirmat tamen Nos erectoque esse animo iubet spectata christianorum toto orbe in liberalitate constantia.

Feliciter fundatur et constituitur.

Itaque ad incrementum catholicae religionis, ad decus utilitatemque nationis Armeniae, his Litteris auctoritate Nostra apostolica fundamus et constituimus in hac alma Urbe Collegium Clericorum Armeniorum, eidemque privilegia iusque omne legitimi collegii tribuimus, ad leges quae infra scriptae sunt.

Leges.

I. Dilectus Filius Noster Antonius S. R. E. Cardinalis Hassun, natione Armenius, bene de re catholica apud populares suos meritus, primus ex instituto Patronatum Collegii Armeniorum suscipiat, eoque nomine ius potestatemque in Collegium gerat.

II. Cum placeat Nobis, Collegio Armeniorum certa quaedam vincula cum sacro Consilio christiano nomini propagando intercedere, idcirco in reliquum tempus Cardinalis, qui sacri huius Praefectus Consilii fuerit, idem Patronus seu *Protector* Collegii Armeniorum sit. Si is Patronus non erit, Cardinalis alter ex eodem sacro Consilio, auctoritate nutuque Pontificis maximi, Patronus adsciscatur. *I MARTII 1883.*

III. Cardinalis Patronus, extremo quoque anno, de disciplina deque re familiari ad Pontificem maximum per litteras referrat.

IV. Curator seu *Praeses* Collegii esto, qui et adiutor ab actis sacri Consilii ad negotia Orientalium. Si is Curator non erit, Curator adlegatur, iussu Pontificis maximi, ex ordine Antistitum Urbanorum.

V. Alumni Armenio ritu cooptentur a Cardinali Patrono, auctoribus Episcopis Dioeceseon singularum.

VI. Cooptentur humaniorum litterarum primordia supergressi, in quibus indoles ad sacerdotium maior esse videatur.

VII. Iidem in Collegio Urbaniano christiano nomini propagando ad scholas, studiorum caussa : factoque periculo, ad gradus Academicos admittantur.

VIII. Alumni natione Armenii, qui hoc tempore in Collegio Urbaniano sunt, in Collegium Armeniorum dimittantur.

IX. Collegium Urbanianum ex aerario suo, pro rata parte decrescentium Alumnorum, sex millia argenteorum italicorum, seu *libellarum*, Collegio Armeniorum in singulos annos solvat dependat.

Denique volumus, ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant : irritum autem et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari : contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I martii anno MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

TH. CARD. MERTEL.

CONSTITUTIO

DE LEGE FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS SAECULARIS.

III KAL. IUNIAS 1883.

MISERICORS Dei Filius, qui, suavi iugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper charitatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae IESUS CHRISTUS in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *charitas est* (1), gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius maternae maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, at in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine charitatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Ecclesia pia mater disciplinam suam ad temporum necessitates solet accommodare.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, iudicio estimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii*, qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Opportunum visum est leges Franciscalium tertii Ordinis saecularis *modice temperari,*

Praeclarum istud Francisci patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato*, quas die XVII septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice

1. I Ioan. IV, 16.

proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus : alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad IESUM CHRISTUM reditu, *qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum* (1). Iamvero in curandis IESU CHRISTI praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita : neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur : sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini : et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

ne scilicet a tam salutari instituto suscipiendo eiusque officiis adimplendis homines nostrae aetatis impediantur aut retardentur.

Auctori autem et adiutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatum Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri, illud decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis quam Nicolaus IV Decessor Noster, probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem* die XVIII Augusti MCCLXXXIX, non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit : quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.

1. Hebr. VII, 25.

Item necessarium fuit privilegia et indulgentias strictius definire ac renovare.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior : atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia : ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die XV martii anno MDCCLI tollendas priores dubitationes curavit ; non paucas tamen, ut fere fit, denuo attulit dies.

Instituta specialis Cardinalium commissio quae utrumque negotium examinaret.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent ; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent : adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres, flecti atque accommodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorumdam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi, ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Pontificia decisio.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris auctoritate Nostra Apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea

poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem sodales uti posse volumus et iubemus, sublatis penitus Indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat. III KAL. IUNIAS 1883.

LEX SODALIUM FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS QUI *SAECULARIS* DICITUR.

CAP. I. — DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant : ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant : mox, Ordinem rite professi, servaturos esse iura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros ; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

CAP. II. — DE DISCIPLINA VIVENDI.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comessationibus perquam caute abstineant.

§ III. Pastu atque potu utantur frugaliter : neve ante vel

accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§ IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos; item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. V. M.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§ VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§ VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum pctestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Charitatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§ X. Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scuriles iocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui charitatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant, suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet. *III KAL. IUNIAS 1883.*

§ XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad coeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

CAP. III. — DE OFFICIIS, DE VISITATIONE, DEQUE IPSA LEGE.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa iusta recuset, seu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quenquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§ V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiaeve legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae huius capita legis quemquam servare caussa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius

rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM.

CAP. I. — DE INDULGENTIIS PLENARIIS.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam consequendi ius sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt :

I. Die aditiali :

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur :

III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint :

IV. Die IV octobris, natali Francisci Patris legiferi : die XII augusti, natali Clarae Virginis legiferae ; die II augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam eius dedicatam : item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti Coelitis, in cuius templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint :

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint :

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint :

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen IESU aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem iure fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Benedictionem summi Pontificis nomine* acceptaturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint : itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui infra scripti sunt : I. Natali Domini Nostri IESU CHRISTI : II. die solemni Paschatis Resurrectionis : III. die solemni Pentecostes : IV. in festo Sanctissimi Cordis IESU : V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis : VI. Iosephi sponsi eius die XIX martii : VII. Impressionis ss. Stigmatum Francisci Patris die XVII septembris : VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni coelestis sodalium Tertio Ordine die XXV augusti : IX. Elisabeth Hungaricae die XIX novembris. *III KAL. IUNIAS 1883.*

IX. Item semel in mense, si qui *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii iure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Iacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedem christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo iure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruantur.

CAP. II. — DE INDULGENTIIS PARTIALIBUS.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium

conventibus publicis privatisve interfuerint : inopes hospitio acceperint : dissidia composuerint, componendave curarint : in pompam rite ductam prodierint : Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint : quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis : hominem mortuum extulerint : devium quenquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippiam ex hoc genere charitatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum caussa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis sive *plenariis* sive *partialibus*, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

CAP. III. — DE PRIVILEGIIS.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus : non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Do-

minicae millesimo octingentesimo octogesimo tertio, III kalendas iunias, Pontificatus Nostri anno sexto. *III KAL. IUNIAS 1883.*

C. CARD. SACCONI *Pro-Datarius* — TH. CARD. MERTEL.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS.

EPISTOLA

Ad Cardinales de Luca, Pitra, Hergenroether

DE STUDIIS HISTORICIS.

18 AUGUSTI 1883.

SAEPENUMERO considerantes, quibus potissimum artibus confidant qui Ecclesiam et Pontificatum romanum in suspicionem invidiamque adducere nituntur, satis cognoveramus, ipsorum conatus multa cum vi et calliditate in historiam christiani nominis esse conversos, maximeque in eam partem, quae res gestas complectitur Pontificum romanorum cum ipsis italicis rebus colligatas atque connexas. — Quod cum nonnulli Episcopi

Impiorum conatus in historiam Ecclesiae Catholicae conversi.

nostrates idem animadvertissent, commoveri se dixerunt non minus cogitatione malorum, quae inde consecuta sunt, quam futurorum metu. Etenim iniuste simul et periculose faciunt qui plus odio romani Pontificatus quam rerum veritati tribuunt, illuc non obscure spectantes, ut superiorum temporum memoriam mendaci colore fucatam novis in Italia rebus servire cogant. — Quoniam igitur Nostrum est non solum iura Ecclesiae cetera, sed ipsam eius dignitatem et Apostolicae Sedis decus ab iniuria vindicare, cum velimus ut vincat aliquando veritas, et itali homines agnoscant unde sibi vis beneficiorum maxima antea percepta et in posterum speranda sit, decrevimus de re tanti momenti vobis dilecti filii Nostri, consilia Nostra impertire, eaque sapientiae vestrae ad perficiendum committere.

Incorrupta rerum gestarum monumenta per se ipsa Ecclesiam magnifice defendunt.

Incorrupta rerum gestarum monumenta si qui tranquillum et praeiudicatae opinionis expertem intendat animum, per se ipsa Ecclesiam et Pontificatum sponte magnificeque defendunt. Licet enim in iis institutorum christianorum germanam naturam magnitudinemque intueri: inter fortia certamina inclitasque victorias divina vis Ecclesiae virtusque cernitur, et manifesta factorum fide eminent et apparent collata a Pontificibus maximis beneficia in universas gentes magna, sed in eas maiora, quarum in sinu Sedem Apostolicam providentia Dei collocavit. Quamobrem qui Pontificatum ipsum conati sunt omni qua possent ratione et contentione

lacessere, consentaneum iis erat haudquaquam parcere testi tantarum rerum historiae. Reapse integritatem eius adorti sunt, idque arte et pervicacia tanta, ut arma illa ipsa, quae essent ad propulsandas iniurias optime comparata, ad inferendas detorserint.

Nihilominus iamdiu haeretici suis erroribus praesidium quaesierunt in factis perfida arte relatis.

Istud lacessendi genus tribus ante saeculis usurpavere prae ceteris Centuriatores Magdeburgenses: qui scilicet, cum auctores fautoresque opinionum novarum ad expugnanda doctrinae catholicae praesidia minime valuissent, ipsi, nova velut acie, in concertationes historicas Ecclesiam compulerunt. — Centuriatorum exemplum omnes fere scholae, quae a doctrina veteri defecissent renovarunt: idemque, quod est longe miserius, nonnulli persecuti sunt religione catholici, natione itali. Illo igitur, quo diximus, proposito pervestigata sunt vel minima antiquitatis vestigia: singuli prope tabulariorum tentati recessus: evocatae in lucem fabulae futiles: commenta, refutata centies, centies iterata. Circumcisis saepe vel coniectis astute in umbras iis quae sunt tamquam rerum lineamenta maiora, praeterlabi reticendo libuit gloriose facta et merita memorabilia, intentis acriter animis ad consectandum exaggerandumque si quid esset temere, si quid minus recte gestum: cuius quidem generis cavere singula plus difficultatis habet, quam quod hominum natura patiatur. Immo etiam licere visum est incerta vitae domesticae arcana scrutari sagacitate improba, arreptis inde medioque positis quae pronae ad obtrectationem multitudini spectaculo simul et ludibrio facilius fore viderentur. Ex Pontificibus maximis vel ii, quorum virtus excelluit, saepe notati vituperatique perinde ac cupidi, superbi, imperiosi: quibus rerum gestarum gloria invideri non potuit, eorum reprehensa sunt consilia: illaque audita millies insana vox, de ingeniorum cursu, de humanitate gentium male Ecclesiam meruisse. Nominatim vero in civilem romanorum Pontificum principatum, libertati maiestatique eorum tuendae non sine divino consilio institutum, eumdemque et iure optimo partum et innumerabilibus benefactis memorabilem, acerrima male dictorum falsorumque criminum tela coniecta.

Iisdem vero machinationibus et hodie datur opera, ut, si

Easdem machinationes adhibent nostri temporis sectarii adversus Pontificatum Romanum et civilem eius principatum.

unquam alias, certe hoc tempore illud vere dici possit, artem historicam coniurationem hominum videri adversus veritatem. Et sane renovatis vulgo prioribus illis insimulationibus, serpere audacter mendacium videmus per laboriosa volumina et exiles libros, per diariorum volitantes paginas et apparatas theatrorum illecebras. — Ipsam rerum antiquarum recordationem nimis multi adiutricem ad iniurias volunt. — Recens illud in Sicilia specimen, quod cruentae cuiusdam memoriae occasionem nacti, multa invecti sunt in decessorum Nostrorum nomen, mansuris etiam consignata monumentis agresti immanitate dictorum. Idemque paullo post apparuit cum honores publice tributi sunt homini Brixiensi, quem seditiosum ingenium et infensus Apostolicae Sedi animus insignem posteris reddidere. Tunc enim aggressi iterum sunt incitare populares iras, itemque Pontificibus maximis ardentes contumeliarum admovere faces. — Si qua vero commemoranda fuerunt omnino Ecclesiae perhonorifica, in quibus omnes calumniarum aculeos manifesta lux veritatis obtunderet, extenuando tamen dissimulandoque data est opera, ut pars laudis meritique quam minima posset ad Pontifices redire putaretur.

Erroribus infecti libelli manuales puerorum usui destinati.

Illud vero gravius est, hanc similitudinem tractandi historiam ipsas in scholas invasisse. Persaepe enim pueris commentarii ad ediscendum proponuntur aspersi fallaciis: quibus illi assuefacti, praesertim si accesserit doctorum aut perversitas aut levitas, facile imbibunt venerandae antiquitatis fastidium, rerumque et personarum sanctissimarum inverecundam contemptionem. Primordia litterarum supergressi, non raro in discrimen adducuntur etiam maius. Nam in maiorum diciplinarum meditationibus ab eventuum narratione ad rerum proceditur caussas: a caussis vero exaedificatio legum petitur ad iudicia temere ficta, quae saepius cum doctrina divinitus tradita aperte dissentiunt, et quorum ea omnis est ratio, dissimulare ac tegere quid et quantum instituta christiana in rerum humanarum cursu eventorumque consequentia ad salutem potuerint. Idque a plerisque suscipitur nihil laborantibus quam sibi parum

18 AUGUSTI 1883.

ipsi cohaereant, quam loquantur pugnantia, quot quantisque tenebris eam, quae philosophia historiae dicitur, involvant. Ad summam, ne agamus de singulis, omnem historiae tradendae rationem eo convertunt, ut suspectam faciant Ecclesiam, invisos Pontifices, et illud maxime persuadeant multitudini, civile romanorum Pontificum imperium incolumitati et magnitudini rerum italicarum obesse.

Invictis testimoniis probantur Pontificatus Romani beneficia in Europam et in Italiam.

Atqui nihil dici potest, quod a veritate magis abhorreat, ut permirum videri debeat, accusationes huiusmodi, quae tot testimoniis tanta vi redarguuntur, verisimiles videri multis potuisse. — Profecto sempiternae posterorum memoriae historia commendavit summa Pontificatus romani in Europam merita, ac nominatim in Italiam; quae ab Apostolica Sede commoda et utilitates, ut erat proclive factu, una ex omnibus accepit plurimas. In quibus illud primo loco commemorandum, potuisse Italos in iis, quae religionem spectant, intactam a dissidiis retinere concordiam : permagnum sane populis bonum, quo qui potiuntur, ii praesidio ad prosperitatem publicam et domesticam firmissimo potiuntur. Et ut singulare quiddam attingamus, nemo unus ignorat, post afflictas Romanorum opes formidolosis incursionibus barbarorum fortissime ex omnibus restitisse Pontifices romanos;eorumque consilio et constantia effectum esse nec semel, ut, represso furore hostium, solum italicum a caede et incendiis, Urbs Roma ab interitu vindicaretur. Et qua tempestate Imperatores Orientis curas cogitationesque omnes alio derivarant, in tanta solitudine et inopia nusquam rerum suarum tutelam nisi in romanis Pontificibus Italia reperit. Quorum in illis calamitatibus spectata caritas plurimum valuit, aliis accedentibus caussis, ad initia civilis ipsorum principatus. Cuius quidem laus est, coniunctum semper cum summa utilitate communi fuisse : quod enim licuit Apostolicae Sedi omne rectum studium humanitatemque provehere, et ad civiles rationes virtutis suae porrigere efficacitatem, et res, quæ habentur in civitate maximae, coniunctim complecti, certe huic caussae non exigua gratia debetur, quod civilis principatus libertatem opportunitatesque praebuit tantis peragendis

rebus necessarias. Quin etiam cum decessores Nostros impulerit conscientia officii, ut iura imperii sui ab hostium cupiditate defenderent, hoc ipso pluries externarum gentium dominatum magna Italiae parte prohibuerunt. Simile quidquam recentiore est etiam perspectum memoria, quo tempore maximi imperatoris victricibus armis Apostolica Sedes non cessit, et ut sibi omnia principatus iura redderentur, a foederatis regibus impetravit. — Neque minus illa italis hominibus salutaria, quod saepenumero Pontifices romani voluntati principum non iustae libere repugnarint: et quod Europae viribus foedere icto consociatis, Turcarum, per iterata vulnera imminentium, immanissimos impetus insigni fortitudine sustinuerint. Duo praelia maxima, deletis italici iisdemque catholici nominis hostibus, alterum in agro Mediolanensi, alterum ad Echinadas insulas, opera auspiciisque Apostolicae Sedis et suscepta et pugnata sunt. Expeditiones Palaestinenses, auctoribus Pontificibus initas, vis est et gloria navalis Italorum consecuta: item leges, vitam, constantiam res publicae populares a sapientia Pontificum mutuatae sunt. — Ad laudem Apostolicae Sedis magnam partem pertinet quaesitum italico nomini ingenuis studiis atque artibus decus. Facile interiturae Romanorum Graecorumque litterae erant, nisi reliquias tantorum operum Pontifices et Clerici velut ex naufragio collegissent. In Urbe vero actae perfectaeque res altius loquuntur: nova condita et summorum artificum operibus exculta musea, et bibliothecae constitutae: scholae instituendis adolescentibus apertae; licea magna praeclare fundata: quibus de caussis ad hanc laudem Roma pervenit, ut communi hominum opinione mater optimarum artium habeatur.

Praedicare igitur Pontificatum per se, aut civilem pontificum principatum italico nomini infensum, apertum est mendacium

Ex his aliisque multis cum tantum lumen eluceat, nemo non videt, infestum italico nomini praedicare aut Pontificatum per se, aut civilem Pontificum principatum, idem plane esse ac de rebus perspicuis et evidentibus velle mentiri. Flagitiosum consilium scienter fallere, et venenum malum historia facere: multoque magis in hominibus catholicis eisdemque in Italia natis reprehendendum quos plus quam ceteros gratus animus deberet et religionis suae

honos et caritas patriae non ad studium modo sed etiam ad patrocinium veritatis hortari. Cum vero ex ipsis Protestantibus satis multi acri ingenio et aequo iudicio opiniones non paucas exuerint, et compulsi veritatis viribus Pontificatum romanum commendare non dubitarint quod sit humanitatem utilitatesque permagnas in republica efficiens, indignum est quod multi ex nostratibus contra solent. Qui in historicis disciplinis adamant adventicia pleraque; et scriptores externos, ut quisque instituta catholica peius vexat, ita sequuntur et probant maxime, fastitiendos rati summos ex nostris, qui cum historiam scriberent, caritatem patriae ab obsequio et amore Apostolicae Sedis diiungere noluerunt.

18 AUGUSTI 1883.

Interim tamen vix credibile est quam sit capitale malum historiae famulatus servientis partium studiis et variis hominum cupiditatibus. Futura quippe et non magistra vitae neque lux veritatis, qualem esse oportere veteres iure dixerunt, sed vitiorum assentatrix et ministra corruptelae: idque praesertim hominibus adolescentibus, quorum et mentes opinionum implebit insania, et animos ab honestate modestiaque deflectet. Percutit enim historia magnis illecebris praepropera ac fervida iuvenum ingenia: oblatam antiquitatis effigiem et illas imagines virorum, quos velut ad vitam revocatos in conspectu narratio ponit, amplexantur cupide adolescentuli et altius in animo retinent ad diuturnitatem insculptas. Itaque hausto semel a teneris annis veneno, vix aut ne vix quidem ratio quaeretur remedii. Neque enim illa est satis vera spes futurum ut aetate sapiant rectius, dediscendo quod ab initio didicerint: propterea quod ad historiam penitus et considerate pertractandam pauci sese dedunt: maturiore autem aetate, in consuetudine vitae quotidianae plus fortasse offendent confirmandis quam corrigendis erroribus loci.

quod valde nocivum est.

Quamobrem permagni refert huic occurrere tam praesenti periculo, et omnino videre ne diutius in materiam ingentis publice privatimque mali ars historica, quae tantum habet nobilitatis, traducatur. Viri probi, in hoc disciplinarum genere scienter versati, animum adiiciant oportet ad

Inde necessitas exsurgit tum sincera documenta edendi tum ex iis rerum narrationes conficere ad communem usum.

scribendam historiam hoc proposito et hac ratione, ut quid verum sincerumque sit appareat, et quae congeruntur iam nimium diu in Pontifices romanos iniuriosa crimina docte opportuneque diluantur. Ieiunae narrationi opponatur investigationis labor et mora: temeritati sententiarum prudentia iudicii; opinionum levitati scita rerum selectio. Enitendum magnopere, ut omnia ementita et falsa, adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud in primis scribentium obversetur animo *primam esse historiae legem ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* — Est autem in scholarum usum confectio commentariorum necessaria, qui salva veritate et nullo adolescentium periculo ipsam artem historicam illustrare et augere queant. Cuius rei gratia, perfectis semel maiore mole operibus ex fide monumentorum quae habentur certiora, reliquum erit capita rerum ex illis operibus excerpere litterisque mandare dilucide et breviter; caussa quidem minime difficilis, sed quae non minimos habitura est usus, ideoque dignissima, in qua vel excellentium ingeniorum elaboret industria.

Utriusque generis scriptorum praestantissima exempla.

Non est autem huiusmodi palaestra intractata et nova: immo vero est summorum virorum non paucis impressa vestigiis. Siquidem rem historicam, sacris quam profanis rebus veterum iudicio propriorem, studiose Ecclesia ab initio coluit. Per medias illas quae in exordia christiani nominis incubuere cruentas procellas, complura acta et rerum monumenta incolumia conservata sunt. Itaque cum pacatiora tempora illuxissent, florere in Ecclesia studia historicorum coepere: Oriensque et Occidens doctos labores in eo genere vidit Eusebii Pamphili, Theodoreti, Socratis, Sozomeni, aliorum. Et post imperii romani occasum, quod humanioribus artibus ceteris, id et historicae usuvenit, ut nusquam nisi in monasteriis perfugium, nec fere alios, praeter Clericos, cultores nancisceretur: ita plane ut, si sodales religiosi de scriptitandis annalibus minus cogitavissent, notitiam prope nullam ne rerum quidem civicarum longo temporis intervallo haberemus. Ex recentioribus vero commemorare duos illos satis est, quos nemo superavit, Baronium

et Muratorium. Prior enim virtutem ingenii sui subtilitatemque iudicii incredibili eruditione cumulavit: alter vero, quamvis in eius scriptis *multa reperiantur censura digna* (1), tamen ad res vicesque italicas illustrandas tantam vim congessit monumentorum, ut nemo maiorem. Iis vero plures annumerari facile possent et clari et magni, quos inter pergratum recordari Angelum Maium, amplissimi Ordinis vestri decus et ornamentum.

18 AUGUSTI 1883.

Artem ipsam historiae philosophicam magnus Ecclesiae doctor Augustinus princeps omnium excogitavit, perfecit. Ex posterioribus qui in hac parte quiddam sunt memoria dignum consecuti, Augustino ipso usi sunt magistro et duce, ad cuius commentata et scripta ingenium suum diligentissime excoluerunt. Qui contra a vestigiis tanti viri discessere eos error multiplex a vero deflexit, quia cum in itinera, flexusque civitatum intenderent animum, vera illa scientia caussarum, quibus res continentur humanae caruerunt.

Igitur si de disciplinis historicis optime omni memoria Ecclesia meruit, mereat et in praesens: praesertim quod ad hanc laudem ipsa ratione impellitur temporum. Etenim cum hostilia tela, uti diximus, potissimum ab historia peti soleant, oportet ut aequis armis congrediatur Ecclesia, et qua parte oppugnatur acrius, in ea sese ad refutandos impetus maiore opere muniat.

Huiusmodi operibus adornandis patebunt tabularia pontificia.

Hoc consilio alias ediximus, ut tabularia Nostra praesto essent, quantum potest, religioni et bonis artibus provehendis: hodieque similiter decernimus, ut adornandis operibus historicis, quae diximus, opportuna ex Bibliotheca Nostra Vaticana pateat supellex. — Nihil dubitamus, dilecti filii Nostri, futurum ut vestri auctoritas officii vestrorumque opinio meritorum facile vobis adiungat viros doctos, in historia scribendique arte exercitatos, quibus recte possitis pro singulorum facultate suum cuique assignare opus, certis tamen legibus auctoritate Nostra sanciendis. Quotquot vero studium operamque suam vobiscum in hanc caussam collaturi sunt, erecto bonoque animo esse iubemus, et singulari benevolentia Nostra confidere. Res quippe agitur digna studiis patrocinioque

1. Benedictus XIV. Epist. ad Supremum Hispaniae Inquisitorem 31 iulii 1748.

Nostro: in qua sane spem utilitatis plurimum collocamus. Nam firmis ad probandum argumentis cedat necesse est opinionis arbitrium: conatusque adversus veritatem diu susceptos ipsa tandem per se superabit et franget veritas, quae obscurari aliquandiu potest, extingui non potest.

Historia doctrinis plena circa Dei providentiam in Ecclesiam et Romanum Pontificatum.

Atque utinam quamplurimi excitarentur veri investigandi cupiditate, et inde utilia ad recordationem documenta caperent. Clamat enim quodammodo omnis historia, Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementa transfert. Item e dimicationibus illataque vi Pontificatum romanum semper evasisse victorem; oppugnatores eius, deiectos de spe, suam sibi perniciem comparavisse. — Neque minus aperte historia testatur quid sit de Urbe Roma iam inde ab origine sua provisum divinitus: scilicet ut domicilium sedemque perpetuo praeberet beati Petri successoribus, qui hinc tamquam e centro universam christianam rempublicam nullius obnoxii potestati gubernarent. Cui quidem divinae providentiae consilio nemo est repugnare ausus, quin serius ocius inania coepta senserit.

Haec sunt, quae tamquam in illustri posita monumento intueri licet, undeviginti saeculorum confirmata testimonio: nec absimilia censendum futura quae reliquum afferet tempus. Nunc quidem praevalentes hominum sectae, Deo et Ecclesiae suae inimicorum, omnia in Pontificem romanum hostilia audent, compulso in ipsam eius sedem bello. Quare hoc contendunt, debilitare vires sacramque potestatem romanorum Pontificum comminuere; immo Pontificatum ipsum, si fieri posset, extinguere. Quae hic post expugnationem Urbis acta sunt, quaeque etiamnum aguntur nihil dubitare sinunt, quid in animo habuerint qui sese ad novas res architectos et duces praebuerunt. — Ad hos accessere non eodem fortasse consilio plurimi, quos nimirum constituendae augendaeque reipublicae studium cepit. Ita numerus crevit decertantium cum Apostolica Sede, et romanus Pontifex in eam misere conditionem deiectus, quam gentes catholicae concorditer deflent. Illis tamen nihil sane melius incoepta succedent, quam ceteris ante eos eodem proposito,

audacia pari. Ad italos vero quod attinet, vehemens istud cum Apostolica Sede certamen, iniuria et temere susceptum, caput est ingentium domi forisque damnorum. — Ad alienandos multitudinis animos, adversari quidem Pontificatus dictus est rebus italicis; sed incriminationem iniquam ac stultam ea ipsa, quae supra commemoravimus, satis convincunt. Idem vero, sicut antea omni memoria, ita in posterum non nisi prosperus et salutaris futurus est italicis gentibus: propterea quod haec eius est constans immutabilisque natura, bene mereri et prodesse in omnes partes. Quamobrem non est virorum rationibus publicis bene consulentium maximo isto beneficiorum fonte Italiam prohibere: nec dignum italis hominibus caussam suam cum iis communicare qui nihil aliud quam Ecclesiae perniciem meditantur. Simili modo nec expedit nec prudens consilium est cum ea potestate confligere, cui perpetuitatis est sponsor Deus, historia testis: quam ut toto orbe catholici religiose verentur, ita eorum interest, esse omni ope defensam: quamque ipsam principes rerum publicarum et agnoscant et plurimi faciant necesse est, his praesertim tam trepidis temporibus, cum fundamenta ipsa, quibus hominum nititur societas, propemodum vacillare videantur. Omnes igitur, in quibus est vera patriae caritas, si saperent et vera viderent, in eo maxime deberent studium curamque ponere, ut amoveantur funesti huius dissidii caussae, et Ecclesiae catholicae tam aequa postulanti ac de iuribus suis sollicitae ea, qua par est, ratione satisfiat. *18 AUGUSTI 1883.*

Ceterum nihil magis optamus, quam ut ea, quae commemoravimus, sicut litterarum monumentis consignata sunt, ita animis hominum penitus adhaerescant. Hanc ad rem vestrum erit, dilecti filii Nostri, quanto maiorem potestis solertiam industriamque conferre. — Quo autem vester et eorum, qui vobis navabunt operam, magis fructuosus sit labor, coelestis patrocinii auspicem vobis illisque universis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII augusti, anno MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Vindobonensem

DE MEMORIA SAECULARI VINDOBONAE LIBERATAE.

30 AUGUSTI 1883.

DELECTARUNT Nos tuae litterae, quibus significabas solemnia istic apparari ad memoriam faustissimi eventus pridie idus septembris recolendam, scilicet Vindobonam duobus ante saeculis eo ipso die teterrima obsidione liberatam : simulque orabas, ut in tali re ac tempore singularia quaedam pontificalis indulgentiae munera populo tuo in expiationem animarum tribueremus. Te quidem precibus compotem, dato iam in id diplomate, fecimus : idque eo libentius, quo ea, quae benigne concessimus, non modo ad decorem saecularis celebritatis, sed, quod pluris est, ad pietatis exercitationem et incrementum valent. — Ceterum praeclara illa ex hoste potentissimo victoria, quam proxime commemorabitis, fuit profecto eiusmodi, ut eius recordatione non minus Ecclesia quam respublica iure laetetur ; propterea quod utriusque consilio operaque parta, utrique fuit maiorem in modum salutaris. Plures enim iam menses circumsederant civitatem hostes maximis copiis : et quamvis in propugnatione cives cum militibus de virtute certarent, in eo tamen Vindobona erat, ut in hostium veniret potestatem, eamdem expertura fortunae conditionem, quae civitates non paucas iam afflixerat. Capta autem urbe imperii maxima, facile intelligitur quid fuisset ceteris imperii partibus, quid ipsi augustae Principum stirpi metuendum. Quid vero si, expugnata Vindobona, elatus victoria hostis impressionem in Occidentem fecisset ?

Victoriae memoria non minus Ecclesiae quam Reipublicae grata :

Sed et calamitatis longe gravioris imminebat periculum. Neque enim de imperio solum rebusque publicis, sed de ipsa religione fideque catholica ad Vindobonam dimicabatur. Hostiles illi discursus eo nimirum spectabant ut, deleto Evangelio christiano, Mahumedana superstitio per

de utriusque periculo agebatur,

Europam propagaretur: quo semel facto, refugit animus easque dicere reformidat ruinas, quibus esset oppressus Occidens. Quod igitur Deus foederatis principibus largitus est, ut e certamine Vindobonensi superiores discederent, mirabiliter fuit catholico nomini salutare. Ac merito quidem tunc successu gestiens christianus orbis pro magnitudine beneficii studuit singulares gratias Deo bellorum potenti persolvere. Tu vero, Venerabilis Frater, ceterique ex Austria Episcopi, redeunte iam tanti eventus sæculari memoria, opportune decrevistis pietatis significationes renovandas, quas maiores vestri prae ceteris, re recenti, ediderunt.

Cum vero in unius urbis liberatione incolumitas rei christianae agereretur,consequens erat ut eam ob caussam tantum contenderet Apostolica Sedes, quantum reapse contendit. Constat enim inter omnes, quod libentes commemoramus hoc loco, clarum illud facinus, fructusque qui consecuti sunt, magna ex parte ad laudem huius Apostolicae Sedis pertinere. Siquidem romani Pontifices decessores Nostri, muneris sui memores nihil antiquius habere consueverunt, quam ut integritatem fidei catholicae, propulsandis inimicorum iniuriis, tuerentur. Propterea quemadmodum plures ex iis antea de Hierosolymis liberandis curarant, posteaque S. Pius V auspicatissimae expeditionis navalis auctor extiterat,eodem modo anno MDCLXXXIII suasor et adiutor rei gerendae Innocentius XI fuit. Is ut Turcarum vim prospexit rei catholicae imminentem, deprecari periculum oportere omni ratione iudicavit. Quamobrem excitatis catholicorum principum studiis, illud assecutus est ut imperator Leopoldus I foedus faceret cum Ioanne Sobieski rege Poloniae qui maxime necessario tempore civitati subvenit, foederatis copiis summo cum imperio praefectus. Praeterea ancipiti re et suspensis animis inter spem metumque, cunctantes Innocentius impulit, timentes confirmavit; res ad bellum necessarias magnam partem contulit: supplicationes propitiando Deo singulares indixit, denique ad percipiendos conservandosque victoriae fructus prudenter animum appulit. — Itaque in tam difficili tempore rursus apparuit, spem salutis publicae exploratam et verissimam in concordia principum cum Apostolica Sede esse

et utriusque viribus pugnatum est,

positam : suspicionum et simultatum serere inter utramque potestatem caussas, iustitiae simul esse prudentiaeque contrarium, nec minus civitati quam Ecclesiae perniciosum.

Ex facto cuius memoria celebratur apparet quam utilis sit utriusque potestatis concordia,

Res vero, quas maiorum vidit aetas, admonitioni et exemplo posteris esse oportet : magnorumque eventuum tunc futura est utilis et opportuna recordatio, si salubria ex illis documenta capiantur. Truditur aetas aetate ; fuga temporum casus quotidie affert genere varios : verumtamen sunt quaedam in ipsa varietate similitudines. Profecto fuit illa christianarum gentium magna calamitas, quod diu multumque debuerint Mahumedanorum vim atque arma extimescere, qui animo proposuerant, quod maxima Orientis parte effecerant, despoliare Occidentem sapientia christiana, doctrinaeque et legum et morum deterrimum genus imponere. Quod si indignum prohibere iugum, si tantos impetus continere licuit, coniunctioni animorum tribuatur viribusque consociatis romanorum Pontificum, et Principum, et populorum christianorum. Res enim erat cum hostibus validissimis ; et summa illa vel religionis vel humanitatis bona, in extremum vocata discrimen, conservari sine tali concordia minime potuissent. — Item aetate hac nostra acerbe exercetur Ecclesia, quamquam aliis et inimicis et artibus. Infe-

quam efficax Ecclesiae virtus ad mala societatis propulsanda.

runt arma catholico nomini non tam externi, quam domestici, incruento sed acri tamen funestissimoque certamine. Eodemque tempore ipsam potestatem principum convellere adorti sunt, pessimisque doctrinis perturbant funditus disciplinam civitatis. Iamvero ad sanandum tantum malum inest in Ecclesiae catholicae institutis virtus mirifica : ita ut utriusque potestatis amice conspiratis viribus, multo posset expeditius praesentiusque parari remedium. Atque haec quae Nos tam saepe commemoramus, utinam in animos hominum aliquando penetrarent ! Cuius rei caussa vellemus, quotquot ubique sunt qui Ecclesiam vere diligant, communem parentem suam fortes et animosi defenderent, eidemque quo posset munus suum ad salutem privatam ac publicam commodius efficere, suam singuli operam praestarent. Quoniam vero usitatum inimicis est scriptis praesertim quotidianis ad nocendum abuti, intelligant catholici viri, quanti

referat, ut in hac dimicationis forma non segnior defensio quam oppugnatio sit. Ex multis tuendae religionis rationibus, haec Nobis videtur valde probabilis, et omnino accommodata temporibus, scripta scriptis refutare, et insidiosa adversariorum artificia convincere. *30 AUGUSTI 1883.*

Tu vero, Venerabilis Frater, tuique istic in episcopatu collegae, quos tecum pariter per has litteras Nostras alloquimur,date operam, ut expectationem desiderii Nostri auctoritate sapientiaque vestra pro viribus expleatis. Gavisuri sumus nec Ecclesiae solum, sed etiam Imperio, si saecularis memoria nobilissimi triumphi ad firmandam valuerit totius nationis vestrae cum Apostolica Sede concordiam ac benevolentiam, cuiusmodi in illo temporis vestigio fauste feliciter eluxit. Nos quidem vobiscum animo et voluntate coniuncti, nominatim in hos proximos dies, hoc orare Deum omnipotentem enixe studebimus, ut carissimum in Christo filium Nostrum FRANCISCUM IOSEPHUM Imperatorem, augustamque domum Eius sospitet tueatur; et universo Imperio benigne largiatur salutem et sine ulla offensione tranquillitatem. Tibi interim ceterisque Episcopis, Clero, populoque ex Austria, ex Hungaria, uberrimam coelestium munerum copiam imploramus: quorum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem universis peramanter in Domino impertimus. *Divini auxilii apprecatio.*

Datum Romae apud S. Petrum die XXX augusti anno MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos universos catholici Orbis

QUA PECULIARES PRECES INDICUNTUR IN BEATISSIMAM VIRGINEM A ROSARIO.

I SEPTEMBRIS 1883.

SUPREMI Apostolatus officio quo fungimur et longe difficili horum temporum conditione quotidie magis admonemur ac propemodum impellimur, ut quo graviores incidunt Ecclesiae calamitates, eo impensius eius tutelae incolumitatique consulamus. Quapropter, dum quantum in Nobis est, modis omnibus Ecclesiae iura tueri, et quae vel impendent vel circumstant pericula antevertere et propulsare conamur, assidue damus operam coelestibus auxiliis implorandis, quibus effici unice potest, ut labores curaeque Nostrae optatum sint exitum habiturae. — Hanc ad rem nihil validius potiusque iudicamus, quam religione et pietate demereri magnam Dei Parentem MARIAM Virginem, quae pacis nostrae apud Deum sequestra et coelestium administra gratiarum, in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in coelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat. — Itaque proximis iam anniversariis solemnibus, quibus plurima et maxima in populum christianum per Marialis *Rosarii* preces collata beneficia recoluntur, preces hasce ipsas singulari studio toto orbe catholico adhiberi magnae Virgini hoc anno volumus, quo, Ipsa conciliatrice, divinum Eius Filium nostris placatum et mitigatum malis feliciter experiamur. Has igitur litteras ad Vos, Venerabiles Fratres, dandas censuimus, ut, cognitis consiliis Nostris, populorum pietas ad ea religiose perficienda vestra auctoritate studioque excitetur.

Gravissima temporum conditio, et urgens necessitas auxilii divini.

Praecipuum semper ac solemne catholicis hominibus fuit in trepidis rebus dubiisque temporibus ad Mariam confugere et in materna Eius bonitate conquiescere. Quo quidem ostenditur certissima non modo spes, sed plane fiducia, quam Ecclesia catholica semper habuit in Genitrice Dei

In trepidis rebus dubiisque temporibus, auxilia coelestia per Mariam implorari solita.

iure repositam. Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut maiorem nec humana nec angelica natura assecuta unquam sit, aut assequi possit. Cumque suave Ipsi ac iucundum apprime sit, singulos suam flagitantes opem iuvare ac solari, dubitandum non est, quin Ecclesiae universae votis adnuere multo libentius velit ac propemodum gestiat.

Haec autem tam magna et plena spei in augustam coelorum Reginam pietas, luculentius emicuit, cum errorum vis late serpentium, vel exundans morum corruptio, vel potentium adversariorum impetus militantem Dei Ecclesiam in discrimen adducere visa sunt. — Veteris et recentioris aevi historiae, ac sanctiores Ecclesiae fasti publicas privatasque ad Deiparam obsecrationes et vota commemorant, ac vicissim praebita per Ipsam auxilia partamque divinitus tranquillitatem et pacem. Hinc insignes illi tituli, quibus Eam catholicae gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum Potentem, Victricem, Paciferam consalutarunt. Quos inter praecipue commemorandus solemnis ille ex Rosario ductus, quo insignia Ipsius in universum christianum nomen beneficia ad perpetuitatem consecrata sunt. — Nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quantum laboris et luctus, saeculo duodecimo exeunte, sanctae Dei Ecclesiae intulerint Albigenses haeretici, qui recentiorum Manichaeorum secta progeniti, australem Galliae plagam atque alias latini orbis regiones perniciosis erroribus repleverant; armorumque terrorem circumferentes, late dominari per clades et ruinas moliebantur. Contra huiusmodi teterrimos hostes virum sanctissimum, ut nostis, excitavit misericors Deus, inclitum scilicet Dominiciani Ordinis parentem et conditorem. Is integritate doctrinae, virtutum exemplis, muneris apostolici perfunctione magnus, pugnare pro Ecclesia catholica excelso animo agressus est, non vi, non armis, sed ea maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii nomine ipse primus instituit, et per se, per suos alumnos longe lateque disseminavit. Dei enim instinctu ac numine sentiebat futurum, ut eius precationis ope, tamquam

Rosarii *Marialis efficaciam testantur,*

praeter alia multa facta,

victoriae relatae adversus infamem Albigensium haeresim,

validissimo instrumento bellico, victi hostes profligatique vesanam impietate audaciam ponere cogerentur. Quod reipsa evenisse compertum est. Etenim ea orandi ratione suscepta riteque celebrata ex institutione Dominici Patris, pietas, fides, concordia restitui, haereticorum molitiones atque artes disiici passim coepere : ad haec plurimi errantes ad sanitatem revocati, et catholicorum armis, quae fuerant ad vim propulsandam sumpta, impiorum compressus furor.

postea adversus potentes Turcarum copias.

Eiusdem precationis efficacitas et vis mirabiliter etiam perspecta est saeculo decimo sexto, cum ingentes Turcarum copiae Europae prope universae superstitionis et barbariae iugum intentarent. Quo tempore sanctus Pius V Pontifex Maximus, excitatis ad communium rerum tutelam principibus christianis, omni studio in primis egit ut potentissima Mater Dei, per Rosarii preces implorata, nomini christiano volens propitia succurreret. Nobilissimum sane spectaculum per eos dies coelo terraeque exhibitum omnium in se mentes animosque convertit. Hinc enim Christi fideles non procul a Corinthiaco sinu vitam et sanguinem pro religionis patriaeque incolumitate fundere parati, hostem interriti opperiebantur ; illinc inermes pio supplicantium agmine, Mariam inclamabant, Mariam ex Rosarii formula iteratis vicibus consalutabant, ut certantibus adesset ad victoriam. Adstitit exorata Domina; nam commisso ad Echinadas insulas navali praelio, christianorum classis,sine magna suorum clade,fusis caesisque hostibus, magnifice vicit. Quare idem sanctissimus Pontifex in accepti beneficii memoriam,anniversarium tanti certaminis diem honori Mariae Victricis festum haberi voluit: quem Gregorius XIII titulo Rosarii consecravit,

Simili modo, superiore saeculo, semel ad Temesvariam in Pannonia,semel ad Corcyram insulam nobilis est deTurcarum copiis victoria reportata: idque sacris Magnae Virgini diebus, precibusque pio Rosarii ritu ante persolutis. Quae res Clementem XI Decessorem Nostrum adduxit ut grati animi ergo, solemnem Deiparae a Rosario honorem quotannis habendum tota Ecclesia decreverit.

Huius precandi formulae praeconia.

Igitur cum sacra haec precandi formula tantopere Virgini grata esse dignoscatur, eaque ad Ecclesiae populique christi-

ani defensionem et ad divina beneficia publice privatimque impetranda apprime conferat; mirum non est, eximiis eam praeconiis alios quoque Decessores Nostros efferre atque augere studuisse. Sic Urbanus IV *quotidie per Rosarium christiano populo bona provenire* testatus est. Sixtus IV hunc orandi ritum *ad honorem Dei et Virginis, et ad imminentia mundi pericula propulsanda opportunum;* Leo X *adversus haeresiarchas et gliscentes haereses institutum*, et Iulius III *romanae Ecclesiae decorem* dixerunt. Itemque de eo sanctus Pius V, *hoc*, inquit, *orandi modo evulgato, coepisse fideles iis meditationibus accensos, iis precibus inflammatos, in alios viros repente mutari, haeresum tenebras remitti, et lucem catholicae fidei aperiri.* Demum Gregorius XIII, *Rosarium a beato Dominico ad iram Dei placandam et Beatae Virginis intercessionem implorandam fuisse institutum.*

I SEPTEMBRIS 1883.

Necessitas divini auxilii non minor hodie quam tempore S. Dominici.

Hac Nos cogitatione, exemplisque Decessorum Nostrorum permoti, opportunum omnino censemus solemnes hoc tempore supplicationes ob eam caussam institui, ut invocata per Rosarii preces Virgine augusta parem necessitatibus opem a IESU CHRISTO eius Filio impetremus. — Perspicitis, Venerabiles Fratres, Ecclesiae labores dimicationesque diuturnas et graves. Christianam pietatem, publicam morum honestatem, fidemque ipsam quae summum est bonum virtutumque ceterarum principium, maioribus quotidie periculis videmus oppositam. Item difficilem conditionem variosque angores Nostros non modo cognoscitis, sed facit caritas vestra ut quadam Nobiscum societate et communione sentiatis. Miserrimum autem est, ac longe luctuosissimum, tot animas IESU CHRISTI sanguine redemptas, quodam aberrantis saeculi veluti correptas turbine, praecipites in peius agi atque in interitum ruere sempiternum. Igitur divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus ad publica sananda vulnera Marialis Rosarii usum invexit. Ille vero coelesti pervidit lumine aetatis suae malis remedium nullum praesentius futurum, quam si homines ad Christum, qui *via, veritas et vita* est, salutis per Eum nobis partae crebra commentatione rediissent; et Virginem illam, cui datum est *cunctas haere-*

ses interimere, deprecatricem apud Deum adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostrae mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interiecta oratione ad Deum et Patrem Domini Nostri IESU CHRISTI. Nos igitur haud absimili malo idem quaerentes remedium, non dubitamus, quin eadem haec a beatissimo viro tanto cum orbis catholici emolumento inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates.

Integer mensis octobris currentis anni coelesti Reginae a Rosario dicatur.

Quamobrem non modo universos christianos enixe hortamur, ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent, sed etiam INTEGRUM ANNI LABENTIS OCTOBREM MENSEM coelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque esse volumus. — Decernimus itaque et mandamus, ut in orbe catholico universo hoc item anno solemnia Deiparae a Rosario peculiari religione et cultus splendore celebrentur; utque a prima die proximi octobris ad secundam subsequentis novembris, in omnibus ubique curialibus templis, et si Ordinarii locorum utile atque opportunum iudicaverint, in aliis etiam templis sacrariisve honori Deiparae dedicatis, quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis Lauretanis religione recitentur: optamus autem ut ad has preces conveniente populo, eodem tempore vel sacrum ad altare fiat, vel Sacramento augusto ad adorandum proposito, sacrosancta deinceps hostia pius supplicantium coetus rite lustretur. — Magnopere probamus, sodalitates a Rosario Virginis solemni pompa vicatim per urbes, accepta maioribus consuetudine, publicae religionis caussa procedere. Quibus autem in locis id iniuria temporum forte non licet, quidquid publicae religioni ex hac parte detractum est, frequentiore redimatur ad sacras aedes accursu; et diligentiore virtutum christianarum exercitatione fervor pietatis eluceat.

Indulgentiae.

Eorum autem gratia, qui quae supra iussimus facturi sunt, libet coelestes Ecclesiae thesauros recludere, in quibus ipsi incitamenta simul et praemia pietatis inveniant. Om-

nibus igitur qui intra designatum temporis spatium, Rosarii cum Litaniis publicae recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus obtinendam concedimus. Quo beneficio frui pariter posse volumus, quos supplicationibus publicis supra dictis legitima caussa prohibeat, hac tamen lege ut eidem sacrae exercitationi privatim operam dederint, itemque Deo ad mentem Nostram supplicaverint. — Eos vero qui supra dicto tempore decies saltem, vel publice in sacris templis, vel iustas ob caussas privatis in domibus eadem peregerint, et, expiatis rite animis, sacra de altari libaverint, piaculo omni et statis admissorum poenis ad pontificalis indulgentiae modum exsolvimus. — Plenissimam hanc admissorum suorum veniam omnibus etiam elargimur, qui vel in ipsis beatae Mariae Virginis a Rosario solemnibus, vel quolibet ex octo consequentibus diebus, ablutis pariter salutari confessione animis, ad Christi mensam accesserint, et in aliqua aede sacra pro Ecclesiae necessitatibus ad mentem Nostram Deo et Deiparae rite supplicaverint.

1 SEPTEMBRIS 1883.

Exhortatio ad Mariae cultum.

Agite vero, Venerabiles Fratres : quantum Vobis curae est et Mariae honos et societatis humanae salus, tantum studete populorum in Magnam Virginem alere pietatem, augere fiduciam. Divino quidem munere factum putamus, ut, vel turbulentissimis hisce Ecclesiae temporibus, in maxima christiani populi parte stet ac vigeat antiqua in augustam Virginem religio et pietas. Nunc vero exhortationibus his Nostris excitatae, vestrisque vocibus incensae christianae gentes vehementiore in dies animi ardore sese in Mariae tutelam fidemque recipiant ; et adamare magis ac magis insistant Marialis Rosarii consuetudinem, quam maiores nostri non modo uti praesens in malis auxilium, sed etiam nobilis instar tesserae christianae pietatis habere consueverunt. Obsecrationes concordes ac supplices libens excipiet humani generis Patrona coelestis, illudque facile impetrabit, ut boni virtutis laude crescant ; ut devii sese ad salutem colligant ac resipiscant ; ut vindex scelerum Deus ad clementiam ac misericordiam conversus rem christianam

remque publicam, amotis periculis, optatae tranquillitati restituat.

Hac spe erecti, Deum ipsum, per Eam in qua totius boni posuit plenitudinem, summis animi Nostri votis enixe obsecramus, ut maxima quaeque Vobis, Venerabiles Fratres, coelestium bonorum munera largiatur : in quorum auspicium et pignus, Vobis ipsis et clero vestro et populis cuiusque vestrum curae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I septembris anno MDCCCLXXXIII Pontificatus Nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE

In forma Brevis

DE BEATISSIMAE VIRGINIS A ROSARIO INVOCATIONE IN LITANIIS LAURETANIS.

24 DECEMBRIS 1883.

SALUTARIS ille *spiritus precum*, misericordiae divinae munus idem et pignus, quem Deus olim effundere pollicitus est *super domum David et super habitatores Ierusalem*, etsi numquam in Ecclesia catholica cessat, tamen experrectior ad permovendos animos tunc esse videtur cum homines magnum aliquod aut ipsius Ecclesiae aut reipublicae tempus adesse vel impendere sentiunt. Solet enim in rebus trepidis excitari fides pietasque adversus Deum, quia quo minus apparet in rebus humanis praesidii, eo maior coelestis patrocinii necessitas intelligitur. — Quod vel nuper perspexisse videmur, cum Nos diuturnis Ecclesiae acerbitatibus et communium temporum difficultate permoti, pietatem christianorum per epistolam Nostram Encyclicam appellantes, Mariam Virginem sanctissimo Rosarii ritu colendam atque implorandam octobri mense toto decrevimus. Cui quidem voluntati Nostrae obtemperatum esse novimus studio et alacritate tanta, quantam vel rei sanctitas vel caussae gravitas postulabant. Est enim neque in hac solum Italia nostra, sed in omnibus terris pro re catholica, pro salute publica, supplicatum : et Episcopis auctoritate, Clericis exemplo operaque praeeuntibus, magnae Dei Matri habitus certatim honos. Et mirifice sane Nos declaratae pietatis ratio multiplex delectavit : templa magnificentius exornata : ductae solemni ritu pompae : ad sacras conciones, ad synaxin, ad quotidianas Rosarii preces magna ubique populi frequentia. Nec preterire volumus quod gestienti animo accepimus de nonnullis locis, quos procella temporum vehementius affligit : in quibus tantus extitit fervor pietatis, ut presbyterorum inopiam privati redimere, quibus in rebus possent, suomet ipsi ministerio maluerint, quam sinere ut in templis suis indictae preces silerent.

Praescriptae preces mense octobri alacriter persolutae.

Necessaria orationis constantia.

Quare dum praesentium malorum sensum spe bonitatis et misericordiae divinae consolamur, inculcari bonorum omnium animis intelligimus oportere, id quod sacrae Litterae passim aperteque declarant, sicut in omni virtute, sic in ista, quae in obsecrando Deo versatur, omnino plurimum referre perpetuitatem atque constantiam. Exoratur enim placaturque precando Deus : hoc tamen ipsum, quod se exorari sinit, non solum bonitatis suae, sed etiam perseverantiae nostrae vult esse fructum. — Talis autem in orando perseverantia longe plus est hoc tempore necessaria, cum tam multa Nos tamque magna, ut saepe diximus, circumstent ex omni parte pericula, quae sine praesenti Dei ope superari non possunt. Nimis enim multi oderunt *omne quod dicitur Deus et colitur :* oppugnatur Ecclesia neque privatorum dumtaxat consiliis, sed civilibus persaepe institutis et legibus : christianae sapientiae adversantur immanes opinionum novitates, ita plane ut et sua cuique et publica tuenda salus sit adversus hostes acerrimos, extrema virium coniuratos experiri. Vere igitur huius tanti praelii complectentes cogitatione certamen, nunc maxime intuendum animo esse censemus in IESUM CHRISTUM Dominum Nostrum, qui quo Nos ad imitationem erudiret sui, *factus in agonia prolixius orabat.*

Exhortatio ad quotidianam rosarii recitationem.

Ex variis autem precandi rationibus ac formulis in Ecclesia catholica pie et salubriter usitatis, ea quae Rosarium Mariale dicitur, multis est nominibus commendabilis. In quibus, quemadmodum in Litteris Nostris Encyclicis confirmavimus, illud permagnum, quod est Rosarium praecipue implorando Matris Dei patrocinio adversus hostes catholici nominis institutum : eaque ex parte nemo ignorat, sublevandis Ecclesiae calamitatibus idem saepe et multum profuisse. Non solum igitur privatorum pietati, sed publicis etiam temporibus est magnopere consentaneum, istud precandi genus in eum restitui honoris locum, quem diu obtinuit, cum singulae christianorum familiae nullum sibi abire diem sine Rosarii recitatione paterentur. His nos de caussis omnes hortamur atque obsecramus, ut quotidianam Rosarii consuetudinem religiose et constanter insistant :

itemque declaramus, Nobis esse in optatis ut in Dioeceseon singularum templo principe quotidie, in templis Curialibus diebus festis singulis recitetur. Huic autem excitandae tuendaeque exercitationi pietatis magno usui esse poterunt familiae Ordinum religiosorum, et praecipuo quodam iure suo sodales Dominiciani : quos omnes pro certo habemus tam fructuoso nobilique officio minime defuturos. *24 DECEMBRIS 1883.*

Nos igitur in honorem magnae Dei genitricis Mariae; ad perpetuam recordationem implorati ubique gentium per mensem octobrem a purissimo Eius Corde praesidii ; in perenne testimonium amplissimae spei, quam in Parente amantissima reponimus ; ad propitiam eius opem magis in dies impetrandam, volumus ac decernimus, ut in Litaniis Lauretanis, post invocationem, *Regina sine labe originali concepta*, addatur praeconium *Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.*

Litaniis Lauretanis addendum praescribitur praeconium: Regina sacratissimi rosarii.

Volumus autem, ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant : irritum vero et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari : contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV decembris anno MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

TH. CARD. MERTEL.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos Galliae

DE CHRISTIANA GUBERNATIONE SOCIETATIS DOMESTICAE ET CIVILIS.

8 FEBRUARII 1884.

NOBILISSIMA Gallorum gens, multis in rebus pace bellove praeclare gestis, singularem quamdam sibi comparavit in Ecclesiam catholicam laudem meritorum quorum nec interitura est gratia, nec gloria consenescet. Institutis christianis, praeeunte rege Clodoveo, mature susceptis, hoc sane perhonorificum fidei pietatisque testimonium simul et praemium tulit, ut *primogenita Ecclesiae filia* nominaretur. Ex eo tempore, Venerabiles Fratres, saepe maiores vestri ad magnas res et salutares visi sunt divinae ipsius providentiae adiutores : nominatim vero ipsorum est nobilitata virtus in vindicando ubique terrarum catholico nomine, in christiana fide ad barbaras gentes propaganda, in liberandis tuendisque sanctioribus Palaestinae locis, ut non sine caussa vetus illud vim proverbii obtinuerit, *gesta Dei per Francos.* Atque his rationibus contigit, ut fideli animo sese pro nomine catholico devoventes, in societatem gloriarum Ecclesiae aliquo modo venire potuerint, et complura publice privatimque instituere, in quibus eximia vis religionis, beneficentiae, magnanimitatis cernitur. Quas patrum vestrorum virtutes Romani Pontifices, Decessores Nostri, maiorem in modum probare consueverunt, reddendaque pro meritis benevolentia, non semel ornare Gallorum nomen laudibus voluerunt. Amplissimae quidem illae sunt, quas Innocentius III et Gregorius IX, magna illa Ecclesiae lumina, maioribus vestris tribuebant : quorum prior in epistola ad Archiepiscopum Rhemensem, *regnum Franciae*, ait, *prerogativa quadam diligimus caritatis, utpote quod prae ceteris mundi regnis Apostolicae Sedi ac Nobis obsequiosum semper extitit et devotum :* alter vero in epistola ad sanctum Ludovicum IX, in regno Galliae, *quod a devotione Dei et Ecclesiae nullo casu*

Gallicae gentis laudes ob praeclara gesta in rei catholicae propagationem et defensionem.

avelli potuit, numquam libertas ecclesiastica periit, null unquam tempore vigorem proprium christiana fides amisit: quin imo pro earum conservatione reges et homines dicti regni sanguinem proprium fundere et se periculis multis exponere minime dubitaverunt. — Parens autem naturae Deus, a quo mercedem virtutum recteque factorum utique in terris accipiunt civitates, multa Gallis ad prosperitatem largitus est, laudes bellicas, pacis artes, gloriam nominis, imperii auctoritatem. Quod si oblita quodammodo Gallia sui, munus a Deo demandatum aliquando defugiens, maluit infensos spiritus adversus Ecclesiam sumere, tamen summo Dei beneficio nec diu nec tota desipuit. Atque utinam funestos illos religioni ac civitati casus, quos proximiora aetati nostrae tempora pepererunt, sospes evasisset! Verum posteaquam mens hominum novarum opinionum imbuta veneno, auctoritatem Ecclesiae passim coepit reiicere infinita libertate ferox, cursus praeceps, quo proclive crat factus est. Nam cum mortiferum doctrinarum virus in ipsos hominum mores influxisset, humana societas huc magnam partem sensim evasit, ut omnino desciscere a christianis institutis velle videatur. Ad hanc perniciem per Gallias dilatandam non parum valuerunt superiore saeculo quidam insaniente sapientia philosophi, qui christianae veritatis adorti sunt fundamenta convellere, eamque philosophandi rationem inierunt, quae excitata iam immodicae libertatis studia vehementius inflammaret. Proxima fuit eorum opera quos rerum divinarum impotens odium nefariis inter se societatibus coniunctos tenet, quotidieque facit opprimendi catholici nominis cupidiores: an vero maiore, quam uspiam, in Gallia contentione, nemo quam Vos, Venerabiles Fratres, iudicare melius potest.

Conatus a saeculo adhibiti ut humana societas instituta christiana repudiet.

Quapropter paterna caritas, qua universas gentes prosequimur, sicut alias Nos impulit ut nominatim Hiberniae, Hispaniae, Italiaeque populos, datis ad Episcopos litteris, convenienter temporibus ad officium cohortaremur, ita nunc ad Galliam suadet mentem cogitationemque convertere. — Ea enim molimenta, quae diximus, non Ecclesiae solum nocent, sed ipsi quoque sunt perniciosa et funesta reipu-

Reipublicae prospera conditio a religione pendet.

blicae, propterea quod fieri non potest ut prosperitas civitati comitetur, virtute religionis extincta. Et sane ubi vereri Deum homo desiit, maximum iustitiae tollitur fundamentum sine qua bene geri rem publicam vel ipsi ethnicorum sapientes negabant posse : neque enim satis habitura dignitatis est auctoritas principum, neque satis virium leges. Plus apud unumquemque valebit utilitas, quam honestas : vacillabit incolumitas iurium malo custode officiorum poenarum metu : et qui imperant, facile in dominatum iniustum, et qui parent, levi momento in seditionem et turbas delabentur. — Praeterea quia nihil est in rerum natura boni, quod non bonitati divinae acceptum referendum sit, omnis hominum societas, quae a disciplina et temperatione sui abesse Deum iubeat, quantum est in se, divinae beneficentiae adiumenta respuit, planeque est digna, cui coelestis tutela denegetur. Itaque quantumvis opibus firma et copiis locuples esse videatur, gerit tamen interitus sui in ipsis reipublicae visceribus inclusa semina, neque spem habere potest diuturnitatis. Scilicet gentibus christianis, non fere secus ac singulis hominibus, tam est inservire Dei consiliis salubre, quam deficere periculosum ; eisque illud plerumque accidit, ut quibus temporibus fidelitatem suam erga Deum vel Ecclesiam studiosius retinent, in optimum statum naturali quodam itinere veniant ; quibus deserunt, excidant. Has quidem vices in annalibus temporum intueri licet ; earumque domestica et satis recentia exempla suppeterent, si vacaret ea recordari quae superior vidit aetas, cum procax multorum licentia tremefactam Galliam funditus miscuit, rem sacram et civilem eodem excidio complexa.

Contra vero haec, quae certam civitatis ruinam secum ferunt, facile depelluntur, si in constituenda gubernandaque tum domestica tum civili societate catholicae religionis praecepta serventur. Ea enim sunt ad conservationem ordinis et ad reipublicae salutem aptissima.

Hinc obligatio christianae educationis iuventutis,

Ac primo quidem ad societatem domesticam quod attinet, interest quam maxime susceptam e coniugio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri ; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet,

cum institutione religiosa esse coniunctas. Alteras seiungere ab altera idem est ac reipsa velle ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur : quae disciplina fallax est, et praesertim in primis puerorum aetatulis perniciosissima, quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit. Omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis quod fidei morumve integritatem offendat. Et ut ista in istituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum, neque parentes per ullam caussam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero, integritatis fidei custos et vindex, quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur praeceptis institutisque iuventus quae in ipsius potestate sit, semper scholas quas appellant *mistas* vel *neutras*, aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum. Quibus in rebus parendo Ecclesiae, simul utilitati paretur, optimaque ratione saluti publicae consulitur. Etenim quorum prima aetas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adolescunt rerum maximarum, quae in hominibus alere virtutum studia et appetitus regere rationi contrarios solae possunt. Cuiusmodi illae sunt de Deo creatore notiones, de Deo iudice et vindice, de praemiis poenisque alterius vitae expectandis, de praesidiis coelestibus per IESUM CHRISTUM allatis ad illa ipsa officia diligenter sancteque servanda. His non cognitis, malesana omnis futura est animorum cultura : insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur.

8 FEBRUARII 1884.

quae parentes graviter urget;

Deinde illa saluberrima aeque ac verissima, quae ad civilem societatem vicissitudinemque iurium et officiorum inter sacram et politicam potestatem spectant. — Quemadmodum enim duae sunt in terris societates maximae, altera civilis, cuius proximus finis est humano generi bonum com-

item necessitas concordiae inter utramque potestatem servandae,

parare temporale et mundanum, altera religiosa cuius est homines ad veram illam felicitatem perducere, ad quam facti sumus, coelestem ac sempiternam, ita gemina potestas est ; aeternae naturalique legi obedientes ambae, et in rebus quae alterutrius ordine imperioque continentur, sibi singulae consulentes. Verum quoties quidquam constitui de eo genere oporteat, de quo utramque potestatem, diversis quidem caussis diversoque modo, sed tamen utramque constituere rectum sit, necessaria est et utilitati publicae consentanea utriusque concordia ; qua sublata, omnino consecutura est anceps quaedam mutabilisque conditio quacum nec Ecclesiae nec civitatis potest tranquillitas consistere. Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem rei publicae, concordiam manere integram ; propterea quod sicut alteri ab altera praestantur officia mutua, ita certus utilitatis fructus ultro citroque accipitur et redditur.

Bona ex concordato *orta,*

In Gallia, ineunte hoc saeculo, posteaquam ingentes illi, qui paulo ante fuerant, motus civiles terroresque conquieverant, ipsi rerum publicarum rectores intellexere, haud posse melius fessam tot ruinis civitatem sublevari, quam si religio catholica restitueretur. Futuras utilitates opinione praecipiens Pius VII Decessor Noster, voluntati primi Consulis ultro obsecutus est, facilitate indulgentiaque usus tanta, quanta maxima per officium licuit. — Tunc de summis capitibus cum convenisset, fundamenta posita sunt tutumque iter munitum restituendis ac sensim stabiliendis rebus religionis opportunum. Et revera plura eo tempore ac posteriore aetate prudenti iudicio constituta sunt quae ad

maxime societati civili.

incolumitatem et decus Ecclesiae pertinere videbantur. Permagnae exinde perceptae utilitates , tanto pluris aestimandae, quanto gravius in Gallia omnia sacra essent antea prostrata et afflicta. Publica dignitate religioni reddita, plane instituta christiana revixere : sed mirum quanta ex hoc facto in prosperitatem civilem bona redierunt. Etenim ex turbulentissimis fluctibus vixdum emersa civitas, cum vehementer tranquillitatis disciplinaeque publicae firma

fundamenta requireret, ea ipsa quae requirebat, oblata sibi a religione catholica percommode sensit; ita ut appareat, illud de concordia ineunda consilium prudentis viri populoque bene consulentis fuisse. Quare, si ceterae rationes deessent, tamen omnino eadem caussa, quae tunc ad pacificationem suscipiendam impulit, nunc deberet ad conservandam impellere. Nam inflammatis passim rerum novarum studiis, in tam incerta expectatione futurorum novas discordiarum caussas inter utramque potestatem serere, interiectisque impedimentis beneficam Ecclesiae prohibere aut remorari virtutem, inconsulta res esset et plena periculi. *8 FEBRUARII 1884.*

At vero hoc tempore huius generis eminere pericula non sine sollicitudine et angore videmus: quaedam enim et acta sunt et aguntur cum Ecclesiae salute minime congruentia, posteaquam nonnulli infenso animo instituta catholica in suspicionem invidiamque adducere, eaque civitati praedicare inimica vulgo consueverunt. Neque minus sollicitos anxiosque habent Nos eorum consilia, qui, dissociandis Ecclesiae reique publicae rationibus, salubrem illam riteque initam cum Apostolica Sede concordiam serius ocius diremptam vellent. *Praesentis temporis pericula.*

Nos quidem in hoc rerum statu nihil praetermisimus, quod tempora postulare viderentur. Legatum Nostrum Apostolicum, quoties oportere visum est, facere expostulationes iussimus: quas qui rem publicam gerunt prono se ad aequitatem animo accipere testati sunt. — Nos ipsi, cum lata lex est de collegiis sodalium religiosorum tollendis, animi Nostri sensa litteris consignavimus ad dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Archiepiscopum Parisiensium datis. Simili modo, missis superiore anno mense iunio ad summum rei publicae Principem litteris, cetera illa deploravimus, quae saluti animarum nocent, et Ecclesiae rationes incolumes esse non sinunt. Id vero effecimus tum quod sanctitate et magnitudine muneris Nostri apostolici permovebamur, tum quod vehementer cupimus ut accepta a patribus et maioribus religio sancte inviolateque in Gallia conservetur. Hac via, hoc ipso tenore constantiae certum Nobis est rem Galliae catholicam perpetuo in posterum *Curae Pontificis et Episcoporum ad ea removenda.*

defendere. — Cuius quidem officii iusti ac debiti Vos omnes, Venerabiles Fratres, adiutores strenuos semper habuimus. Revera sodalium religiosorum coacti dolere vicem, perfecistis tamen, quod erat in potestate vestra, ne indefensi succumberent, qui non minus de re publica quam de Ecclesia meruerant. Hoc autem tempore, quantum leges sinunt, in eo evigilant maximae curae cogitationesque vestrae, ut probae institutionis copia suppeditet iuventuti : et de consiliis quae adversus Ecclesiam nonnulli agitant, non praetermisistis ostendere, quantam ipsi civitati essent allatura perniciem. Atque has ob caussas nemo iure criminabitur, aut aliquo Vos respectu rerum humanarum duci, aut constitutae reipublicae adversari : quia cum Dei agitur honos, cum salus animarum in discrimen adducitur, vestrum munus est harum rerum omnium tutelam defensionemque suscipere. — Pergite itaque prudenter et fortiter in episcopali munere versari : coelestis doctrinae praecepta tradere, et qua sit ingrediendum via in tam magna temporum iniquitate populo demonstrare. Eamdem omnium oportet esse mentem idemque propositum, et ubi communis est caussa, similem in agendo adhibere rationem. Providete ut nusquam scholae desint, in quibus notitia bonorum coelestium officiorumque erga Deum diligentissime alumni imbuantur, et discant penitus Ecclesiam cognoscere eidemque dicto esse audientes usque adeo ut intelligant et sentiant, omnes labores, eius caussa, patibiles putandos. Abundat Gallia praestantissimorum hominum exemplis, qui pro fide christiana nullam ab sese calamitatem, ne vitae quidem ipsius iacturam deprecati sint. In ipsa illa perturbatione, quam commemoravimus, viri invicta fide perplures extiterunt, quorum virtute et sanguine patrius stetit honos. Iamvero nostris etiam temporibus virtutem in Gallia cernimus per medias insidias et pericula satis, Deo iuvante, se ipsam tueri. Munus suum Clerus insistit, idque ea caritate, quae sacerdotum est propria, ad proximorum utilitates semper prompta et sollerti. Laici viri magno numero fidem catholicam profitentur aperto impavidoque pectore : obsequium suum certatim huic Apostolicae Sedi multis rationibus et

saepe testantur : institutioni iuventutis ingenti sumptu et labore prospiciunt, necessitatibus publicis opitulantur liberalitate et beneficentia mirabili.

8 FEBRUARII 1884.

Iamvero ista bona, quae laetam spem Galliae portendunt, non conservanda solum sed etiam augenda sunt communi studio maximaque perseverantia sedulitatis. In primis videndum est ut idoneorum virorum copia magis ac magis Clerus locupletetur. Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas : pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum. — Deinde necesse est in patrocinio religionis multum elaborare lectos viros laicos, quibus cara est communis omnium mater Ecclesia, et quorum dicta tum scripta tuendis catholici nominis iuribus magno usui esse possunt. Ad optatos autem fructus maxime est conspiratio voluntatum et agendorum similitudo necessaria. Profecto nihil magis inimici cupiunt, quam ut dissideant catholici inter se : hi vero nihil magis quam dissidia fugiendum putent, memores divini verbi, *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Quod si, concordiae gratia, necesse est, quemquam de sua sententia iudicioque desistere, faciat non invitus, sperata utilitate communi. Qui scribendo dant operam, magnopere studeant hanc in omnibus rebus animorum concordiam conservare ; iidem praeterea quod in commune expedit malint, quam quod sibi : communia coepta tueantur ; disciplinae eorum, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, libenti animo pareant, auctoritatemque vereantur; nec suscipiant quicquam praeter eorumdem voluntatem, quos, quando pro religione dimicatur, sequi necesse est tamquam duces.

Necessaria submissio erga Episcopos,

et animorum unitas inter fideles.

Denique, quod facere in rebus dubiis semper Ecclesia consuevit, populus universus, Vobis auctoribus, obsecrare obtestarique Deum insistat, ut respiciat Galliam, iramque misericordia vincat. In ista fandi scribendique licentia pluries est divina violata maiestas, neque desunt qui non modo beneficia Salvatoris hominum IESU CHRISTI ingrate repudient, sed etiam impia ostentatione profiteantur, nolle se Dei numen agnoscere. Omnino catholicos decet hanc sen-

Fervens oratio, maxime ex parte virorum religiosorum.

tiendi agendique pravitatem magno fidei pietatisque studio compensare, publiceque testari, nihil sibi esse Dei gloria prius, nihil avita religione carius. Ii praesertim qui alligati arctius Deo, intra monasteriorum claustra aetatem degunt, excitent nunc sese ad caritatem generosius, et divinum propitiare numen humili prece, poenis voluntariis, suique devotione contendant. His rationibus eventurum, Deo opitulante, confidimus, ut qui sunt in errore resipiscant, nomenque Gallicum ad genuinam magnitudinem revirescat.

In his omnibus, quae hactenus diximus, paternum animum Nostrum, Venerabiles Fratres, et amoris, quo universam Galliam complectimur, magnitudinem recognoscite. Nec dubitamus quin hoc ipsum studiosissimae voluntatis Nostrae testimonium ad confirmandam augendamque valeat salutarem illam inter Galliam et Apostolicam Sedem coniunctionis necessitudinem, unde nec levia in communem utilitatem bona omni tempore profecta sunt. — Et hac cogitatione laeti, Vobis, Venerabiles Fratres, civibusque vestris maximam coelestium munerum copiam adprecamur quorum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis universaeque Galliae Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII februarii anno MDCCCLXXXIV, Pontificatus nostri anno sexto.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad R. R. E. Cardinales

DE IURIBUS ECCLESIAE VIOLATIS.

24 MARTII 1884.

POST excitatos seditionum fluctus, quorum immanes impetus in excidium civilis romanorum Pontificum principatus expugnationemque Urbis evasere, sicut Pius IX f. r. decessor Noster, ita et Nos Apostolicae Sedis iura tueri omnique contentione vindicare studuimus, prout muneris officiique Nostri ratio postulabat. Similique animi constantia, quoties quid iniqui vidimus in rerum novarum continuatione attentatum, veritatis iustitiaeque patrocinium suscepimus : nominatim hanc vim, quam iamdiu sustinemus, quantum repugnando potuit, propulsandam curavimus.

Bellum iamdiu motum adversus Sanctam Sedem,

Verumtamen, arcano permittentis Dei consilio, vehemens illa tempestas diuturnitate non resedit. Quod profecto vix opus est verbis exequi, praesertim apud Vos, Venerabiles Fratres, quibus est id, quod dicimus, quotidiano spectaculo ac prope experimento cognitum. Nihil enim cunctantes inimici in cursu consiliorum suorum, hic stabilire quotidie firmius res suas moliuntur, omnia circumspicientes quamobrem iure optimo incommutabilique possessione consedisse in Urbe iudicentur. Huc pertinet eorum in agendo considerata dexteritas : rerum eventus per dispositas caussas apparati : captatio, domi, popularis aurae : quaesita foris voluntatum assensio: omnes denique artes, quae ad obtinendam conservandamque potentiam prodesse videantur. Quoniam igitur Ecclesiae romanique Pontificatus rationes quanto magis illi pessumdare adnituntur, tanto Nos studiosius conservare debemus, idcirco hodierna die in hoc amplissimo consessu vestro denuo improbamus damnamusque quodcumque est cum Apostolicae Sedis iniuria actum, itemque testamur, omnia Nos iura eius ex integro et in perpetuum salva velle. Neque vero aut regni cupiditate aut rerum humanarum appetentia ducimur, quod nonnulli insigni stultitia atque impudentia pari criminantur: sed conscientia

novis artibus continuatur.

Necessitas civilis principatus asseritur.

permovemur officii, et iurisiurandi religione, et ipsis exemplis Decessorum Nostrorum eorumque virtute et sanctitate magnorum, qui pro conservando principatu civili quandocumque oportere visum est, summa fortitudine constantiaque dimicaverunt. In quo quidem principatu, praeter legitimas caussas titulosque egregios et varios, inest similitudo et forma quaedam sacra, sibi propria, nec cum ulla republica communis, propterea quod securam et stabilem continet Apostolicae Sedis in exercendo augusto maximoque munere libertatem. Nemo est enim quin sciat, id semper Pontificibus usuvenisse, ut, amisso imperio civili, in diminutionem incurrerent libertatis ; quod rursus vel in Nobismetipsis nunc idem perspici potest sub casus alieni arbitrii varios incertosque subiectis. Nuperrimus ille et gravis de patrimonio, quod haec Apostolica Sedes christiano nomini propagando addixerat. Caussa agebatur cum apostolico officio Pontificis maximi apta in primis et connexa, eademque tanto rebus humanis maior, quanto christianae propagatio sapientiae et salus hominum sempiterna. Atqui tamen operi nobilissimo, quod sapiens Pontificum munificentia instituit, et gentium christianarum aluit liberalitas, vis praesentium temporum non pepercit : ita sane ut ad futuram eius incolumitatem nova Nos inire consilia necessitas ipsa coegerit.

Peiora timenda.

Ista quidem acerba : acerbiora praesentimus, et pati parati sumus. Novimus enim, decretum inimicis esse usque eo Pontificatum romanum iniuriose tractare, ut, ex aliis in alias coniectus difficultates, ad extrema, si fieri possit, urgeatur. Detestabile insanumque propositum : quod, si consentaneum iis est, qui consiliis sectarum nequissimarum inserviunt, et conculcari Ecclesiam mancipiove reipublicae dari gestiunt, profecto longe alienum ab eorum voluntate esse oportet, qui germana patriam caritate diligant, qui Pontificatus virtutem et magnitudinem non praeiudicata opinione, sed rei natura metiantur, qui beneficia ipsius tum omnibus gentibus, tum maxime Italorum generi et parta meminerint, et expectanda considerent.

Spes in Deo reposita.

Verum praecipua firmissimaque spe in Deo posita, qui vindex est aequitatis et iustitiae, animum interea a praesen-

tium cogitatione malorum ad laetiora quaedam revocemus, quae cum Ecclesiae utilitate amplissimique Collegii vestri ornamento colligantur. Nimirum romanae honorem purpurae hodierna die deferre constituimus IOSEPHO SEBASTIANO NETO Patriarchae Lisbonensi, et GULIELMO SANFELICE Archiepiscopo Neapolitano, virtutum doctrinaeque laude, muneribus episcopalibus naviter sapienterque gestis, et immota in hanc sedem Apostolicam fide praestantibus.

24 MARTII 1884.

Cardinalium creatio.

Quid vobis videtur?

Auctoritate itaque omnipotentis Dei, sanctorumque Apostolorum Petri et Paulli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales.

IOSEPHUM SEBASTIANUM NETO
GULIELMUM SANFELICE

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos universi catholici Orbis

DE SECTA MASSONUM.

20 APRILIS 1884.

HUMANUM genus, postea quam a Creatore, munerumque coelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserrime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatique contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet IESU CHRISTI Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire: alterum Satanae est regnum, cuius in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem caussam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: coelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui* (1). — Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate conflixit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime: Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per IESUM CHRISTUM Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient.

Duplex civitas.

Civitatem Christo adversam hodie constituit secta Massonum.

---

1. *De Civit. Dei,* Lib. XIV, c. 17.

— Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad Deum clamare, urgente animum caritate, compellimur; *Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente* (1).

In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani nominis oppugnatione, Nostrum est indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus, resistere ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et IESU CHRISTI regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

Pontifices Romani mature prospexerunt pericula Ecclesiae et Civitati ex ea obventura.

Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hunc tam capitalem hostem ex occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt; iidemque praecipientes cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno 1738 facta (2): cuius est a Benedicto XIV (3) confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII (4): ac Leo XII Constitutione Apostolica « *Quo graviora* » (5) superiorum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse iussit. In eandem sententiam Pius VIII (6), Gregorius XVI (7), persaepe vero Pius IX (8) locuti sunt.

Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit sectam Massonum contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque

1. *Ps.* LXXXII, v. 2-4. — 2. Const. *In eminenti*, die 24 aprilis 1738. — 3. Const. *Providas*, die 18 maii 1951. — 4. Const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, die 13 septembris 1821. — 5. Const. data die 13 martii 1825. — 6. Encyc. *Traditi*, die 21 maii 1829. — 7. Encyc. *Mirari*, die 15 augusti 1832. — 8. Encyc. *Qui pluribus*, die 9 novemb. 1846. Alloc. *Multiplices inter*, die 25 septemb. 1865., etc.

poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdixit atque imperavit ne quis illi nomen societati daret. Qua ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui ea decreverant, criminati sunt aut non iusta decrevisse, aut modum in decernendo transisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel inviti faterentur, quod erat a romanis Pontificibus factum, id esse spectata doctrina disciplinaque catholica, iure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere, vel per se, latis in id legibus, noxae damnare, ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia, aliisque Italiae partibus.

Eorum prudentiam eventus comprobavit.

Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum enim providae paternaeque curae nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant. Eo enim perventum est ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmius habet fundamentum, quam ut hominum opera labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus nimis polleat ea de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula

20 APRILIS 1884.

accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto malo resistere oppositu auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris Nostris Encyclicis « *Quod Apostolici muneris* » aggressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere: aliis deinceps « *Arcanum* » veram germanamque notionem societatis domesticae, cuius est in matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper, quarum initium est « *Diuturnum* », potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quo vis illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

Ad funestae pestis prohibenda contagia, Massonum *doctrina, consilia mores in aperto ponuntur.*

Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemeridas, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et qua via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et iuris et officii et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere, immo

Variae hominum sectae, quarum centrum est Massonica, *societatum clandestinarum genus et morem habent,*

praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic ementita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum : habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuicris plebis caritatem : unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima : ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos ; si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis restitisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta ut speculatricem ac vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere ; obligari sibi homines, tamquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata caussa : alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere : armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter societatem, de qua loquimur, cum iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit.

et cum iustitia naturalique honestate multiplici ratione pugnant.

Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta eademque illustria redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque caussa ex iis rebus, quarum caussa est, qualis in se sit, non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere* (1). Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis

1. Matth. VII, 18.

indiciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

20 APRILIS 1884.

Communis earum scopus est societatem christianam destruere novamque ei substituere Naturalismo *innixam.*

Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foederatasque complectitur societates : non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illae nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent : non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa iudicandum.

Sicut enim Naturalistae *reiiciunt omnem revelationem omnemque auctoritatem doctrinalem ;*

Iamvero, Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quicquam esse Deo auctore traditum : nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibique unice proprium doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem coelestibus adiumentis plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat,

ita secta Massonum, *ubi semel dominatur, satagit principia christiana a gubernio reipublicae removere,*

praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum : omninoque iudicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longo sane pertinacique labore in id datur opera, nihil ut Ecclesiae magisterium, nihil auctoritas in civitate possit : ob eamque caussam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt : illudque est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. —

Ecclesiae vim et efficaciam in hominum directionem variis artibus imminuere,

Nec vero non curare Ecclesiam, optimam ducem, satis habent, nisi hostiliter faciendo laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri fando, scribendo, docendo, impune licet : non iuribus Ecclesiae parcitur, non munera, quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum rerum facultas quam minima illi relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferentibus, re vera natis ad impediendam libertatem. Item impositas Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum de rebus necessariis in dies decedat : reliquias bonorum Ecclesiae maximis adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permissas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in Sedem

Sanctam Sedem destruere.

Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum incitata contentio. Is quidem primum fictis de caussis deturbatus est propugnaculo libertatis iurisque sui, principatu civili : mox in statum compulsus iniquum simul et obiectis undique difficultatibus intolerabilem : donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fauctores, quod abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum potestatem, ipsumque divino iure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt, velle eos maxime exercere catholicum nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos, quam excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis caussa instituis-

sent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam eiurare conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum abest, ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat. Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta praebent. Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum huius temporis errorem, religionis curam relinqui oportere in mediis, nec ullum esse inter genera discrimen. Quae quidem ratio comparata ad interitum est religionum omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus vera sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest.

20 APRILIS 1884.

Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via audacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspiciuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretione segregatos, eosdemque immortales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili cursus errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem caussamque dissidii : immo non mediocrem hac ipsa de re constat extitisse inter eos proximo etiam tempore contentionem. Re autem vera initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse : et qui nullum esse praefracte contendant, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent : quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate

Praeterea Naturalistarum *perversas opiniones amplectuntur* Massones :

De Deo ipso, deque creatione, providentia, immortalitate :

extitisse: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus divinioribus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam coelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in coelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari iubens, perturbari vetans: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem ætatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam;* scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores: opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

consequenter solam inculcant morum disciplinam civicam *et* liberam, *sane inopem et firmitatis expertem;*

Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedientes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda

cupiditatibus frena laxant;

est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse: proptereaque liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum* ([1]) putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regendosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum: ephemeridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia: ludos scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *verismi*, legibus proterve quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui expectationem tollunt bonorum coelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abiiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem commemorata sunt illud confirmare potest non tam re, quam dictu inopinatum. Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fractus animus, reperti in secta Massonum sunt, qui edicerent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo: hoc enim facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futurum.

20 APRILIS 1884.

Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus: rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, iure posse: penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinclum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiatur ex certa destinataque sententia: integrum singulis esto, cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atqui haec ipsa assen-

Massones *etiam sequuntur* Naturalistarum *errores de convictu domestico,*

1. Conc. Trid. Sess. VI, *De Iustif.* c. 1.

atque, ubi possunt, decernunt mere civilem matrimonii formam,

tiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in regionibus, iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunctas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege licet: alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam convertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitratu suo fingere, et, quo velint, torquere: eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem reipublicae educendam. Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio; itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

divortii facultatem,

laicam puerorum institutionem.

Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Naturalistae, homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri ius habere neminem: velle autem, ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero populo esse: imperium iussu vel concessu populi teneri, ita quidem, ut, mutata voluntate populari, principes de gradu deiici vel invitos liceat. Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis. Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis nullam esse caussam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

Tandem placita Naturalistarum *de Reipublicae gubernatione civiumque iuribus ultro admittunt* Massones.

Haec autem ipsa Massonibus aeque placere, et ad hanc similitudinem atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat

Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte moliuntur : et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque omnium bonorum, deleto ordinum et fortunarum in civitate discrimine.

20 APRILIS 1884.

Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet ex his quae summatim attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam manifesto discrepant, ut nihil possit esse perversius. Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacissimae. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repudientur per IESUM CHRISTUM benigne parta, neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel communitate civili consociatis ; quae beneficia ipso habentur inimicorum iudicio testimonioque maxima. In huiusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quo Satanas in IESUM CHRISTUM ardet, inexpiabile odium, ulciscendique libido. — Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque honesti praecipue fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis, qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere. — Augent vero malum ea, quae in societatem cum domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum consensu : divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta rerum suarum incolumitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita ; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio deorum, sed

Breviter ostenditur quam perversa sint quae machinantur Massones

contra fidem christianam,

contra iustitiam et mores honestos,

contra familiam,

contra cultum publicum,

religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob caussam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere.— Quod vero homines ad coniunctionem congregationemque civilem Dei voluntate nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam necessarium ut, eo sublato, illam repente disrumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipienti aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret in populi esse voluntate positum obedientiam, cum libitum fuerit, abiicere. — Similiter, pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, iura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum perfectus corporis habitus ex diversorum existit iunctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt, compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulcram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares

contra auctoritatem politicam,

contra harmonicam civium distinctionem.

arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior : si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

20 APRILIS 1884.

Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permissa probataque seditionum libidine, proiectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur, idque prae se ferunt plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges : quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum clandestinarum recusantes servitutem, insanos earum conatus forti animo refutant.

Pessimi fructus ex his erroribus secuti ;

nominatim communismi et socialismi pestis.

Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent ! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes : quibus quo maiores admoverent stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate iuribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quatere, et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere, quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. —

Perfida arte Massones *ut intenta obtinerent,*

Ecclesiam apud principes insimularunt,

principes ipsos et Ecclesiam apud populum:

Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitatum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum maior est expectatio, quam veritas: immo vero peius oppressa plebs magnam partem iis ipsis carere cogitur miseriarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut ibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

dum e contrario principibus et populis Ecclesia consulit.

Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime iubet summo omnium principi Deo, iniuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de iure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane iudicio conscientiaque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo ius arcessit imperandi, magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adiumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et iuvandis mortalibus unice intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius ius violandum, ordini tranquillitatique publicae serviendum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice sublevandam. *Sed propterea putant*, ut verba usurpemus Augustini, *vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum* (1). Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad

1. *Epist.* CXXXVII, al. III, ad Volusianum c. V, n. 20.

labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare. *20 APRILIS 1884.*

Utcumque erit, in hoc tam gravi ac nimis iam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto peius Massones oderunt, quanto magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi caussa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem singulos suam precamur quaesumusque, ut religioni habeant vel minimum ab iis discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

Remedia adversus malum:

observatio decretorum Apostolicae Sedis,

Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus, flagitamus, ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda Vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus Vos, non fortitudo deficiet. Erit prudentiae vestrae iudicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstabunt et impedient, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuite, primum omnium reddendam Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudo. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de caussa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, quanti esse debet. Ne quem honestas assimulata decipiat: potest enim quibusdam videri nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumtamen

Episcopalis sollicitudo in sectarum artificiis detegendis;

quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et caussa, congregare se cum eis, eosve quoquo modo iuvare, rectum est non licere.

veritatis catholicae defensio.

verbo et scriptis,

etiam opera virorum laicorum;

Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda: cuius rei gratia valde suademus, ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis adnitentibus, a disciplina vitae, a scientia litterarum probe instructus. Verum tam honesta caussa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patriae caritatem cum probitate doctrinaque coniungant. Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres, ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: eius enim quanto cognitio fuerit amorque maior, tanto futurum maius est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine caussa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalium, cuius paullo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare tuerique oportere. Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem IESU CHRISTI, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: propptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthaec sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem iuris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et IESUS CHRISTUS humano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *filiorum Dei*, per quam nec Satanae, nec cupiditatibus,

extensio tertii ordinis S. Francisci;

improbissimis dominis, serviamus: fraternitatem, cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitaten, quae iustitiae caritatisque constituta fundamentis, non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitae, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem. *20 APRILIS 1884.*

Tertio loco una quaedam res est, a maioribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quae tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in praesentia potest. — Scholas seu collegia opificum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si maiores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede manuum inopiam tolerant, praeterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, maxime praeterea patent illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Huius rei caussa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrocinioque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus iam locis sodalitates eiusmodi, itemque coetus patronorum constituti sint: quibus propositum utrisque est honestam proletariorum classem iuvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

catholici operariorum coetus

societas a S. Vincentio,

Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei

recta iuventutis institutio,

vigilantiaeque vestrae maiorem in modum commendamus iuventutem, ut quae spes est societatis humanae. — Partem curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant, Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de eiusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos.

precatio.

Verum probe intelligimus, communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haudquaquam pares futuros, nisi coelestis Dominus vineae ad id quod intendimus benigne adiuverit. — Igitur eius opem auxiliumque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Effert se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum iam videtur pertinaciae factura modum. Asseclae eius universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate iuncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi. Ab iis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant, ut christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — adiutricem et interpretem adhibeamus MARIAM Virginem Matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se

impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestamur principem Angelorum coelestium, depulsorem hostium infernorum, MICHAELEM: item IOSEPHUM Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum coelestem salutarem: PETRUM et PAULLUM Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices invictos. Horum patrocinio et communium perseverantia precum futurum confidimus ut coniecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigneque succurrat.

20 APRILIS 1884.

Coelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX aprilis anno MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Cardinalem Hergenroether

DE ARCHIVII PONTIFICII ORDINATIONE.

15 MAII 1884.

La singolare importanza degli Studî storico-critici per la difesa della Chiesa e della Sede Apostolica Ci determinò fin dall'esordio del Nostro Pontificato di aprire alle indagini degli studiosi il Pontificio Archivio Vaticano. — Disponemmo dapprima che ne assumesse la direzione un Cardinale di Santa Chiesa col còmpito di dare efficace impulso allo studio dei monumenti storici e alle discipline apologetiche. — Concedemmo al Cardinale Archivista che potesse a comodo degli eruditi temperare con discernimento l'antica disciplina degli Archivii Pontificii, e quindi ordinammo che venisse aperta un' attigua sala di studio per uso di coloro che amano di applicarsi all' esame critico dei vetusti documenti. — Non paghi di ciò, e scorgendo l' abuso che si fa della storia a danno della verità e della religione, Ci proponemmo di promuoverne lo studio imparziale, e con la Nostra lettera del 18 agosto del passato anno 1883 impegnammo lo zelo e la dottrina di tre illustri membri del sacro Collegio a dar mano, col concorso di eletti ingegni, a lavori storico-apologetici, valendosi degli atti autentici del Pontificato e della Chiesa, explorati nelle loro fonti.

Memorantur quae ad studia apologetico-historica iam a Pontifice decreta sunt.

Palaeographiae schola aperta.

Ma a rendere vieppiù fruttuoso questo studio, Ci siamo risoluti di aprire presso lo stesso Archivio una scuola speciale di *Paleografia e Storia comparata* mercè cui il giovane Clero possa opportunamente far tesoro di soda erudizione e adestrarsi in esercizî di sana critica. — Nel tempo stesso, sembrandoci esser questo il momento acconcio di dare al Nostro Archivio un organamento più consentaneo all' uopo con opportune norme d' interna e di esterna disciplina, abbiamo ordinato si compilasse un nuovo Regolamento. Questo, sanzionato con Nostro speciale Motu-proprio del primo maggio corrente, reca le norme che dovranno d' ora

Archivii nova ordinatio.

in poi dirigere l' Archivio medesimo, la Sala di studio, e la Scuola di Storia e di Paleografia; e lo rimettiamo a Lei, signor Cardinale, affinchè ne curi debitamente l'esecuzione.

Dato dal S. Nostro Palazzo del Vaticano, questo di 15 maggio 1884.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Episcopum Petrocoricensem

DE VARIIS ANGORUM CAUSSIS.

27 IUNII 1884.

TUAS excepimus observantissimas litteras die 16 huius mensis datas, quae Nobis tui animi angores significabant simulque caussas, unde illi ortum habent, patefaciebant. Ea quae te angunt, Ven. Frater, Nobis etiam dolori sunt, cum videamus dissensiones inter catholicos homines non quiescere sed invalescere eo praesertim tempore, quo Ecclesiae ac publicarum rerum in ista regione conditio coniunctionem omnium animorum et virium maxime postulant adversus communes hostes, ad consilia nempe massonicae societatis disiicienda et impetus propulsandos. In his temporum ac rerum asperitatibus quae sit sentiendi et agendi ratio, quam fideles sequi oporteat, quae sit norma ad quam suas mentes et opera dirigere debeant, satis luculenter apparet ex doctrinis ab hac Apostolica Sede traditis, quae tum in Syllabo aliisque documentis illustris Decessoris Nostri, tum in Nostris encyclicis litteris continentur. Tota itaque concordiae ratio, quae fideles inter se consociare debet, in eo quaerenda est, ut nempe omnium animi in iis doctrinis amplectendis servandisque consentiant, posthabitis contentionibus quae ad privatas caussas et infra res maioris momenti positas referuntur. Quod vero pertinet ad eas scholas in quibus omnis de religione doctrina obmutescere cogitur, pluries iam de iis Nostram sententiam declaravimus. De libris autem, quibus catholica religio impetitur et mores corrumpuntur, praesertim quos Ecclesiae censura perstrinxit, nemini obscurum esse potest fas non esse ut ii in litterarum palaestris adhibeantur. Ceterum persuasum tibi esse volumus, Ven. Frater, Sanctam hanc Sedem de religionis rationibus et de animarum salute sollicitam vigiles curas omni tempore intendere ad ea, quae sive in ista sive in aliis regionibus peraguntur, summumque studium gerere, ut, tempus nacta opportunum, remedia malis

Invalescentes inter catholicos dissentiones,

scholae acatholicae,

libri perniciosi.

adhibeat quae magis congrua rerum necessitatibus in Domino iudicaverit. Haec quae significavimus eo valere cupimus, ut animi tui compescant angores; atque a Deo totius consolationis tibi opem et praesidium ex corde implorantes, Apostolicam Benedictionem, sincerae Nostrae dilectionis testem, tibi cunctoque clero et fidelibus, quibus praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27 iunii 1884, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE

Ad Archiepiscopum Florentinum

DE PERNICIOSIS QUIBUSDAM LIBRIS.

28 AUGUSTI 1884.

CUM ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, superiore anno exeunte in aedibus Vaticanis verba haberemus, sicut alia multa deploravimus quae animum Nostrum vehementer angebant, ita nominatim questi sumus, quod homines officii immemores pietatem Ecclesiae debitam deseruerint, amantissimae parentis dolores, quos lenire consolando deberent, iniqua insimulatione exulcerare non dubitent. — Cuius generis multa et gravia peccantur in geminis libellis argumento non valde dissimili, audacia pari, tibi, Venerabilis Frater, satis cognitis, qui inscribuntur " *La nuova Italia — Il Vaticano regio.* " In iis enim est falsis iudiciis perniciosisque opinionibus passim locus : Ecclesiae auctoritati non parcitur ; sancta huius Apostolicae Sedis iura aperte oppugnantur. Istorum auctor commentariorum, a pristino vitae instituto dissidens, blandimentis capi se passus est hominum non proborum, ingenioque et scribendi facultate, plus fortasse quam sibi videatur : eorumque caussae servit, qui progressum ad meliora vulgo iactantes, sua perficere consilia moliuntur rationibus saepe religioni iustitiaeque posthabitis, atque id maxime agunt ut Ecclesiae libertatem deleant una cum christiana morum disciplina.

Perniciosi libri a Carolo Curci scripti :

Praeterea tantum sibi arrogat, ut in ea, quae a legitimis Ecclesiae potestatibus geruntur, inquirat, eademque arbitrio suo diiudicanda subiiciat : nullaque usus verecundia, in animo eorum, qui legant, semina spargit periculosa ordini, quo totius christianae rei moderatio continetur. Gravissimum autem bellum, quod impia hostium conspiratione adversus instituta catholica hoc tempore geritur, in scriptis suis probat ille verius quam damnat : laborumque, quibus Pontifex Romanus et Clerus per summam iniuriam affici-

tur, non in eis qui inferunt, sed in eis qui perferunt, caussam residere audacter contendit.

Tales quidem consignatae litteris sententiae, in tanta praesertim animorum ad opiniones novas proclivitate, necessario erant offensionis caussam errandique periculum allaturae: eo vel magis quod illarum auctor non solum sacerdotali munere et illustri virorum religiosorum tot annos societate, sed etiam ingenii laude commendaretur. Quamobrem licet lucubrationem "*Il Vaticano regio*" quamplurimi ex Clero italico, cui potissimum erat inscripta, vix evulgatam reprehendissent vehementerque improbassent, tamen gravissimorum virorum de illa iudicium exquirendum putavimus, hac etiam de caussa ut expostulationibus, quae ad Nos perferebantur, satis fieret. Itaque supremo Consilio Nostro sacrae Inquisitionis praecepimus, ut de utraque scriptione accurate quaereret, et quid censeret faciendum, decerneret. Consilium vero, habitis haud semel coetibus, diligentique iudicio adhibito, utramque damnavit; alteram decreto edito die 15 iunii anno 1881, alteram die 30 aprilis hoc ipso anno: eaque decreta per Consilium Nostrum noxiis libris notandis praepositum, auctoritate Nostra promulgari iussimus. Neque vero praetermissa sunt opportuna hortamenta aliaque caritatis officia, impetrandi caussa ab auctore, ut quae scripto mandavisset, mutata voluntate damnaret, sententiamque suam legitimae potestatis iudicio auctoritatique submitteret.

specialiter iussu Pontificis examinati a S.C. Inquisitionis,

damnati.

Id quidem ille praestitit, ubi perlatum est decretum anno 1881, edita declaratione qua opus suum improbabat, quae ad decretum ipsum adiuncta est. Verum, quod boni omnes deploravere, homo suarum opinionum tenax, aliud scriptum, scilicet "*Il Vaticano regio*" iisdem, quos antea repudiarat, erroribus inquinatum in lucem edidit, ita quidem de superiori illa declaratione locutus, ut ei vim omnem vafra callidaque interpretatione ademerit.

Quo tempore cum supremum Inquisitionis Consilium laturum esset de hac altera scriptione sententiam, monitus auctor est ut memor esset officii, submittendoque sese oblatam ceteris offensionis caussam compensaret. Sed cunctan-

Auctor in suis placitis pertinax.

tem callideque tergiversantem severioribus urgere monitis praeceptisque, secundum Ecclesiae disciplinam, opus fuit. Quae cum irrita cecidissent, res postulare visa est ut decretum ederetur, quo ille canonica *suspensionis* poena afficiebatur, nisi intra definitum tempus paruisset. Ille tamen parere recusavit : quin immo obstinatior in sententia audaciorque factus, scriptionem publicavit misitque ad sacrum Inquisitionis Tribunal, in qua contumax spiritus cum pristina opinionum insolentia coniungitur. Titulum inscripsit "*Lo scandalo del Vaticano Regio, duce la Provvidenza, buono a qualche cosa*", adiecitque appendicem acerbe contumelioseque appetentem quaecumque hactenus a sacro Inquisitionis Consilio in hac eius caussa, de qua loquimur, acta sunt. Atque hoc postremum opus, caussa per idem Consilium rite cognita, damnatum est lata sententia die 16 superiore mense iulio; quam pariter Consilium nostrum libris notandis, Nobis mandantibus et probantibus, promulgandam curavit.

Haec omnia, Venerabilis Frater, Nobiscum in animo considerantes, acerbum dolorem ex tanta hominis pertinacia capimus; simulque pravitate commovemur exempli, quod improvidae praesertim iuventuti perniciosum esse necesse est. Nos quidem paternae lenitatis indulgentiaeque partes egimus libenter et agemus: nihilominus Nostrum est sacrorum Consiliorum, quorum opera in maximis Ecclesiae negotiis utimur, auctoritatem tueri, eorumque dignitatem contra male dicta iniuriasque defendere.

Quoniam igitur te, Venerabilis Frater, teste atque interprete usi sumus in iis quae hactenus ob hanc caussam suscepimus, ut hominem ad sanitatem officiumque revocaremus, tibimetipsi has litteras, velut continuata caritatis Nostrae documenta, dare decrevimus. Illuc autem hae litterae pertinent, ut cognoscatur quae sit de lucrubrationibus supra memoratis Nostra sententia: nimirum reiicere

Pontificia sententia.

Nos et improbare opiniones omnes praeposteras et a veritate discrepantes, itemque omnia quaecumque in illis cum adversus Apostolicam Sedem Decessoresque Nostros, tum adversus sacra Nostra Consilia invidiose iniurioseque dicta

sunt. Eodemque tempore declaramus, ea omnia quae ab iisdem sacris Consiliis iudicata, decreta et acta sunt quod ad scriptiones pertinet, de quibus agitur, et quod ad varias animadversiones, poenamque suspensionis in auctorem latam, assentientibus et probantibus Nobis, ideoque Nostra auctoritate iudicata, decreta, et acta esse : et quatenus opus sit, eadem omnia denuo confirmamus. *28 AUGUSTI 1884.*

Pro caritate autem Nostra, cum vehementer optemus ut quidquid ille temere fecit, penitendo corrigat, suppliciter rogare Deum perseverabimus, ut mentem hominis suo lumine illustret, et adiuvet sua virtute voluntatem. Tu vero in hanc ipsam rem perge, Venerabilis Frater, operam studiumque tuum conferre : neque enim futurum diffidimus, ut ille, Deo auctore, resipiscat, et aegritudinem Nostram optata consolatione permulceat.

Tibi interim, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo universo Apostolicam Benedictionem benevolentiae Nostrae testem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos universos catholici Orbis

QUA ROSARII PRECES INIUNGUNTUR.

30 AUGUSTI 1884.

SUPERIORE anno, quod singuli novistis, per litteras Nostras Encyclicas decrevimus, ut in omnibus catholici orbis partibus, ad coeleste praesidium laboranti Ecclesiae impetrandum, magna Dei Mater sanctissimo Rosarii ritu, octobri toto, coleretur. In quo et iudicium Nostrum et exempla sequuti sumus Decessorum Nostrorum, qui difficillimis Ecclesiae temporibus, aucto pietatis studio, ad augustam Virginem confugere, opemque eius summis precibus implorare consueverunt. — Voluntati vero illi Nostrae tanta animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor extet in populo christiano, et quantam in coelesti Mariae Virginis patrocinio spem universi reponant. Quem quidem declaratae pietatis et fidei fervorem Nos, tanta molestiarum et malorum mole gravatos, non mediocri consolatione leniisse profitemur, imo animum addidisse ad graviora quoque, si ita Deo placeat, perferenda. Donec enim spiritus precum effunditur super domum David et super habitatores Ierusalem, in spem certam adducimur, fore ut aliquando propitietur Deus, Ecclesiaeque suae miseratus vicem, audiat tandem preces obsecrantium per Eam, quam ipse coelestium gratiarum voluit esse administram.

Superiore anno piissime ubique peractae preces a Pontifice iniunctae ;

Quapropter insidentibus caussis, quae Nos ad publicam pietatem excitandam, uti diximus, anno superiore impulerunt, officii Nostri duximus, Venerabiles Fratres, hoc quoque anno hortari populos christianos, ut in huiusmodi precandi ratione et formula, quae *Rosarium Mariale* dicitur, perseverantes, sibi validum magnae Dei Genitricis patrocinium demereantur. Cum enim in oppugnatoribus christiani nominis tanta sit obstinatio propositi, in propugnatoribus non minorem esse oportet constantiam voluntatis, quum praesertim coeleste auxilium et collata nobis a Deo beneficia,

in oratione perseverandum,

perseverantiae nostrae saepe soleant esse fructus. — Ac revocare iuvat in mentem magnae illius Iudith exemplum, quae almae Virginis typum exhibens stultam Iudaeorum repressit impatientiam, constituere Deo volentium arbitrio suo diem ad subveniendum oppressae civitati. Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donun sibi promissum expectaverunt, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre IESU. — Agitur enim et nunc de ardua ac magni momenti re, de inimico antiquo et vaferrimo in elata potentiae suae acie humiliando; de Ecclesiae eiusque Capitis libertate vindicanda; de iis conservandis tuendisque praesidiis in quibus conquiescere oportet securitatem et salutem humanae societatis. Curandum est igitur, ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus Marialis Rosarii sanctissima consuetudo studiose pieque servetur, eo praecipue quod huiusmodi preces cum ita sint compositae ut omnia ex ordine salutis nostrae mysteria recolant, maxime sunt ad fovendum pietatis spiritum comparatae.

siquidem urgens est necessitas auxilii.

Et ad Italiam quod attinet, potentissimae Virginis praesidium nunc maxime per Rosarii preces implorare necesse est, quum nobis adsit potius, quam impendeat, nec opinata calamitas. Asiana enim lues terminos, quos natura posuisse videbatur, Deo volente, praetervecta, portus Gallici sinus celeberrimos, ac finitimas exinde Italiae regiones pervasit. — Ad Mariam igitur confugiendum est, ad eam, quam iure meritoque salutiferam, opiferam, sospitatricem appellat Ecclesia, uti volens propitia opem acceptissimis sibi precibus imploratam afferat, impuramque luem a nobis longe depellat.

Quapropter adventante iam mense octobri, quo mense sacra solemnia Mariae Virginis a Rosario in orbe catholico aguntur, omnia ea, quae praeterito anno praecepimus, hoc anno iterum praecipere statuimus. — Decernimus itaque et mandamus, ut a prima die octobris ad secundam consequentis novembris in omnibus curialibus templis, sacrariisve publicis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis quinque saltem Rosarii decades,

Iniungitur recitatio Rosarii Marialis per mensem octobrem :

adiectis Litaniis, quotidie recitentur: quod si mane fiat, sacrum inter preces peragatur; si pomeridianis horis, Sacramentum augustum ad adorandum proponatur, deinde qui intersunt rite lustrentur. Optamus autem, ut Sodalitates Sanctissimi Rosarii solemnem pompam, ubicumque per civiles leges id sinitur, vicatim publicae religionis caussa ducant.

Indulgentiae conceduntur.

Ut vero christianae pietati coelestes Ecclesiae thesauri recludantur, Indulgentias singulas, quas superiore anno largiti sumus, renovamus. Omnibus videlicet qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, et his pariter qui legitima caussa impediti privatim haec egerint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedimus. Eis vero qui supra dicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel iustis de caussis inter domesticos parietes eadem peregerint, et criminum confessione expiati, sancta de altari libaverint, plenariam admissorum veniam de Ecclesiae thesauro impertimus. Plenissimam hanc admissorum veniam et poenarum remissionem his omnibus etiam largimur, qui vel ipso beatae Virginis a Rosario die festo, vel quolibet ex octo insequentibus, animae sordes eluerint et divina convivia sancte celebraverint, et pariter ad mentem Nostram in aliqua sacra aede Deo et sanctissimae eius Matri supplicaverint.

Iis denique consultum volentes qui ruri vivunt et agri cultione, praecipue octobri mense distinentur, concedimus ut singula, quae supra decrevimus, cum sacris etiam indulgentiis octobri mense lucrandis, ad insequentes vel novembris vel decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio differri valeant.

Exhortatio.

Non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin curis hisce Nostris uberes et copiosi fructus respondeant, praesertim si quae Nos plantamus, et vestra sollicitudo rigaverit, iis Deus gratiarum suarum largitione de coelo afferat incrementum. Pro certo quidem habemus populum christianum futurum dicto audientem Apostolicae auctoritati Nostrae

eo fidei et pietatis fervore, cuius praeterito anno amplissimum dedit documentum. Coelestis autem Patrona per Rosarii preces invocata adsit propitia, efficiatque, ut sublatis opinionum dissidiis et re christiana in universis orbis terrarum partibus restituta, optatam Ecclesiae tranquillitatem a Deo impetremus. — Cuius auspicem beneficii, Vobis et Clero vestro, et populis vestrae curae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. *30 AUGUSTI 1884.*

Datum Romae apud S. Petrum die XXX augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE URBANI COLLEGII ALUMNIS FOEDERATARUM CIVITATUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS.

25 OCTOBRIS 1884.

UBI primum latissimae Americae Septentrionalis plagae deductis ex Europa coloniis frequentia populorum celebrari coeperunt, Romani Pontifices Praedecessores Nostri ad eam regionem oculos convertentes, in qua modo florentissima ex foederatis statibus Respublica constituta est, omnes sollicitudines et studia sua in id contulere, ut catholica fides quaeque ex ea dimanant in civitates bona, non modo inter Christifideles manerent incorrupta, sed etiam inter gentes sive barbaras sive ex diversis orbis partibus illuc immigrantes, quamvis origine, lingua, moribus, religione dissitas, inducerentur. — Ad hos salutares fructus assequendos maxime valuerunt, tum virorum apostolicorum delectus quos undique conquisitos in eas provincias mittere numquam destiterunt, tum sedulae assiduaeque curae Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando, cuius consiliis et ministeriis Iidem perpetuo usi sunt, ut Septentrionalis Americae spirituali utilitati consulerent. — Porro eadem Sacra Congregatio Decessoribus Nostris operam navans, inter alia sui studii argumenta erga eam regionem, hoc etiam exhibuit, ut nempe admissis in Urbanianum Collegium eius regionis alumnis, ex iis novos in dies Evangelii praecones in Urbe totius christiani orbis principe, in ipsis Pontificum oculis ad pietatem et scientiam pro Americae Borealis gentibus diligenti institutione informandos, opportune curaret. Illustris autem Americae gentis electa pars tot tantisque Summorum Pontificum dilectionis testimoniis ita respondit, ut quam de se expectationem excitaverat, eidem luculentur re ipsa satisfecerit. Egregia enim semper argumenta praebuit sui studii erga catholicam religionem, ac filialis obedientiæ devotaeque voluntatis erga Apostolicam Sedem, Eique

Romanorum Pontificum sollicitudo erga gentes Americae Borealis:

earundem gentium praeconium.

firmis obsequii vinculis sese devinctam ostendit. Qua in re praecipuam commendationem sacri eius regionis Pastores sibi vindicant, quorum concordibus et assiduis laboribus brevi eo res adductae fuere, ut amplissima Episcopali Hierarchia per memoratos Status constituta, religiosis Ordinibus invectis, Catholica institutione diffusa, veluti novum Ecclesiae spirituale regnum in iis regionibus effloruerit.

Collegium pro clericis Americanis a Pio IX iam pridem erectum

Haec magna cum consolatione intuentes Romani Pontifices sui muneris, paternaeque suae erga illustrem illam partem Dominici gregis benevolentiae esse duxerunt, ut maiora etiam in eius utilitatem peragenda curarent. Quapropter inclytus Decessor Noster fel. rec. Pius IX nihil ad religionis incrementum utilius, ad Pontificiam munificentiam opportunius existimavit quam providere, ut quemadmodum plures ex aliis exteris nationibus, sic foederati Americae Septentrionalis Status suam in Urbe domum altricem haberent, in qua delecti iuvenes sacris studiis sacraque disciplina instituendi, ad exercendum deinde in patria sua uberi cum fructu sacerdotale ministerium, exciperentur. — Quod feliciter mente conceperat illustris Decessor Noster, operam etiam dedit, ut omni sublata mora ad exitum perduceretur. Itaque Eius iussu a sacro Consilio Christiano nomini propagando coëmpta in Urbe domus, quae Sacrarum Virginum a Visitatione Deiparae antea fuerat, Collegio alumnorum Septentrionalis Americae addicta, perpetuumque in usum attributa est; simulque anno 1858 die solemni Sanctae Dei Matris sideribus receptae ab eodem Sacro Consilio litterae datae, quibus eiusdem Collegii erectio pro foederatis Americae Septentrionalis Statibus decernebatur. Collegium quidem ipsum felicibus auspiciis die 8 decembris anno insequenti dedicatum est: sed tamen usque ad hanc diem illud supererat, ut documentum Apostolicum ederetur, quo ipsum ex more institutoque huius Apostolicae Sedis canonicae suae erectionis vim et dignitatem acciperet. — Eius rei caussa Venerabiles Fratres Americae Borealis Episcopi, qui superiore anno exeunte de gravibus religionis rebus acturi in hanc almam Urbem convenerunt, per Ven. Fratrem Archiepiscopum Baltimorensem Nobis fervidas preces

institutione canonica donatur.

obtulere, ut quod nondum a Collegio regionis suae constituto peractum fuerat, auctoritate curaque Nostra fastigium imponentes operi perficeremus. Nos itaque haud cunctandum rati, eorumdemque Venerabilium Fratrum communibus votis obsecundare, clerumque et fideles Americanae regionis novo hoc amoris testimonio prosequi cupientes, decretum a memorato Sacro Consilio editum super constitutione Collegii Clericorum pro foederatis Americae Septentrionalis Statibus, cum omnibus et singulis in illo contentis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus eique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac praeterea ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicae religionis, ad decus utilitatemque magnae Reipublicae foederatorum Americae Septentrionalis Statuum, eadem auctoritate tenore praesentium idem Collegium in hac alma Urbe, iuxta canonicas normas erigimus et constituimus, ac nomine et titulo Pontificio decoramus, eidemque omnia iura, praerogativas, privilegia huiusmodi Collegiorum propria attribuimus et elargimur, ad leges quae infra sequuntur.

Collegii leges.

I. Cardinalis Sacri Consilii Christiano nomini propagando Praefectus pro tempore existens, idem perpetuo Patronus Collegii esto: idemque, ubi opportunum sibi visum fuerit, adiutorem sibi in eo munere gerendo deligendi et constituendi iure fruatur.

II. Administratio universa Collegii ab Archiepiscopis et Episcopis foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, vel a Praesulibus ab ipsis ad id muneris legitime deputatis, geratur.

III. Archiepiscopi et Episcopi, quibus, ut supra Collegii administratio concredita est, iidem, cum moderator Alumnis Collegii regendis renunciandus fuerit, tres sacerdotes, qui ad hoc munus obeundum idonei visi fuerint Sacro Consilio Fidei propagandae, proponant, uti ex iis Summus Pontifex, audito Sacrae Congregationis consilio, eligat, quem Collegii regimini Rectoris nomine et potestate praeficiat.

IV. Rector in omnibus quae ad Collegii regimen pertinent, Emi Patroni ac Episcoporum Collegii Administra-

torum auctoritati obsequatur, eisque accuratam rei familiaris rationem sexto quolibet anni mense reddat. *25 OCTOBRIS 1884.*

V. Rector idem, ut munere suo expeditius et utilius perfungi queat, tum in iis quae oeconomicam Collegii curationem, tum in iis quae alumnorum disciplinam spectant, opportunis adiutoribus utatur. — Propterea ipsius erit, Emo Patrono approbante, idoneum sacerdotem vicarium suae potestatis adsciscere nec non curatorem rei familiaris Collegii Emo Patrono et Episcopis administratoribus proponere, ac de ipsorum consensu constituere, qui in munere exercendo a Rectoris auctoritate nutuque pendere debebit.

VI. Rector omnibus praesit, non alumnis modo, sed et singulis maioribus ac minoribus Collegii administris.

VII. Nec inter alumnos admittatur quispiam, nisi aut ratione originis aut ratione domicilii vel quasi domicilii foederatorum Americae Statuum civis habeatur, et constitutis conditionibus satisfaciat, ac ingenii morumque laude probatus firmam spem praebeat, sese in ecclesiasticis ministeriis esse perpetuo inserviturum.

VIII. In alumnis novis adsciscendis Collegii Rector cum Episcopis agat ad quorum Dioecesim ipsi pertinent ; tum de singulis qui excipiendi erunt ad Emum Patronum referat, alumnosque item antequam Collegium ingrediantur, aut in patriam redeant, coram Emo Patrono sistat.

IX. Alumni antequam ad sacros Ordines promoveantur, iuramentum de more emittant, ut in Collegiis Pontificiis fieri solet.

X. Collegii Urbani Fidei Propagandae scholas Americani alumni studiorum caussa celebrent, ibique ad gradus Academicos assequendos doctrinae experimenta edant. — Quo vero in studiis suis proficere valeant uberius, sacerdos rerum theologicarum et philosophicarum scientia praestans apud ipsos commoretur, qui iisdem in susceptis praelectionibus explanandis et illustrandis adiumento erit.

XI. Quod autem ad spiritualem alumnorum curam attinet, Rectoris munus erit sacerdotem ad confessiones excipiendas ab Emo Urbis Vicario approbatum, in pietatis

magistrum et ordinarium Confessarium, qui in Collegii aedibus degat, de Emi Patroni assensu deligere; isque ita delectus alumnorum animis ad virtutem et scientiam Sanctorum studiose ac prudenter provehendis operam navet.

XII. In alumnorum disciplina regulae seu leges Collegii Urbani Fidei Propagandae opportune temperatae, ac peculiaribus Americani Collegii rationibus accommodatae, accurate serventur.

Volumus denique ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant; irritum autem et inane futurum decernimus si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae sub annulo Piscatoris anno millesimo octingentesimo octuagesimo quarto die XXV octobris, Pontificatus Nostri anno septimo.

FL. CARD. CHISIUS.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE INVENTIONE CORPORIS S. IACOBI M. ET SS. ATHANASII ET THEODORI.

KAL. NOVEMBRIS 1884.

DEUS omnipotens, qui mirabilis est in sanctis suis, providentissime voluit, ut, quum eorum animae coelo receptae gaudio perfundantur sempiterno, corpora condita terris singulari observantia colantur ab hominibus et religionis splendore honestentur.— In his vero Dei providentia et misericordia luculenter apparet, qui cum multa sinat per ea divinitus accidere, simul et utilitati consulit nostrae, et gloriae, quam sancti sui consequuntur in terris. Haec enim coelitum beatissimorum pignora, quae nobiscum manent, quoties invisimus, toties admirabilem praeclarissimarum virtutum seriem, quibus illi in mortali vitae cursu in exemplum ceteris praeluxere, memoria repetimus, et ad eas imitandas vehementer adducimur. Sunt autem, teste Ioanne Damasceno, sanctorum corpora perennes in Ecclesia fontes, ex quibus tamquam rivuli salutares effunduntur in populos christianos dona coelestia, et ea omnia quibus maxime indigemus. — Quapropter non mirum est si providentis Dei consilio nonnulla sanctorum corpora, quae antea in oblivione posteritatis velut in tenebris delitescebant, his potissimum temporibus in lucem prodeant, quibus et Ecclesia maximis agitatur fluctibus, et egent christiani acriori ad virtutem incitamento. Hoc nostro vertente saeculo cum a potestate tenebrarum teterrimum indictum fuerit bellum adversus Dominum et adversus Christum eius, auspicato quidem et divinitus inventi sunt sacri cineres sancti Francisci Assisiensis, sanctae Clarae Virginis legiferae, sanctorum Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum, Philippi et Iacobi Apostolorum. — Horum in numerum adsciscendi sunt sanctus IACOBUS MAIOR Apostolus et discipuli eius Athanasius et Theodorus, quorum corpora nuper in templo principe civitatis Compostellanae reperta sunt.

Dei providentis consilio effectum ut plura Sanctorum corpora his temporibus in lucem prodierint:

S. Iacobi corpus e Palaestina in Hispaniam a discipulis advectum,

Ex constanti et pervulgato apud omnes sermone, iam inde ab Apostolorum aetate, memoriae proditum est, publicisque Decessorum Nostrorum litteris confirmatum, sancti Iacobi corpus, postquam ille ab Rege Herode capitis damnatus martyrium fecerat, a duobus discipulis eius, Athanasio et Theodoro clam fuisse subductum. Hi cum valde metuerent reliquias sancti Apostoli nullas futuras, si Iudaei corpore potirentur, eo in navim imposito solverunt ex Iudaea, deinde sospite transmissione attigere Hispaniam, eamque circumvecti ad extremas Gallaeciae oras appulerunt, ubi, uti pia et antiqua traditio habet, post Christi in coelum ascensum sanctus Iacobus divino consilio apostolico munere functus erat.

et in praediolo civitatis Hispaniensis depositum:

Ibi quum Hispaniensem civitatem quae Iria Flavia nominabatur, accessissent, in praediolo quodam manere decreverunt, mortalesque Apostoli exuvias, quas secum avexerant, in crypta saxo defossa intra loculum romano opere constructum condiderunt, parvumque super erexerunt sacellum. Sed

SS. Athanasius et Theodorus ad eius latus sepulti.

exacto vitae cursu cum Athanasius et Theodorus naturae concessissent, christiani, qui ea loca incolebant, tum propter eximiam de duobus viris opinionem, tum ne hi a corpore quod in vita sancte asservaverant post mortem seiungerentur, ambos in eodem sepulcro composuerunt unumquemque ad Apostoli latus. — Vexatis paullo post caesisque christia-

Pace Ecclesiae data, S. Iacobi sepulchrum fidelium pio concursu illustre evadit:

nis, ubicumque terrarum Romani Imperatores dominabantur, sacrum hypogeum delituit aliquandiu. Verum ubi, tranquillitate parta, apud Hispanos homines, qui praecipua sancti Iacobi religione tenebantur, de translato eius corpore fama percrebuit, ad sepulturae locum concursus fieri coepit, haud minori fortasse pietatis studio quam quo Romae et alibi sepulcra Principum Apostolorum, et Hieromartyrum

at post Barbarorum et Arabum incursiones sub ruinarum molem latet.

coemeteria visebantur. Labentibus vero annis cum barbari primum, deinde Arabes imperio ductuque Muzae invasissent in Hispaniam, et eas praesertim regiones, quae mare adiacent crebris incursionibus divexarent, sacer sepulcri loculus, exciso et everso sacello, sub ruinarum mole in obscuritate

Saeculo IX miraculosae stellae splendore detegitur,

latuit diuturna. — Non tamen vetustate obliterata est apud Hispanos sacri pignoris memoria. Ineunte enim saeculo IX cum Rex Alfonsus, qui dictus est Castus, Hispaniam obti-

neret, et Iriae Flaviae Ecclesiae datus esset Episcopus Theodomirus, super cryptam, quae sancti Iacobi et duorum discipulorum reliquias contegebat, constans fama est veluti refixam coelo stellam splendidissimam apparuisse, quae suo fulgore indicium faceret loci, ubi sacri cineres conditi fuerunt. Episcopus Theodomirus tanto felix auspicio auctori Deo supplicationes indixit, deinde submotis reiectisque veteris sacelli ruderibus, eo investigando pervenit, ubi tamquam in cognato sepulcro, tria sanctorum corpora distinctis loculis iacebant. Tunc ut locus ille religione sanctus humanis esset praesidiis munitior, murum in circuitu eduxit, sacrumque thesaurum firmis substructionibus circumsepsit. Quae res ut ad aures Regis Alfonsi pervenerunt ad sanctum Apostoli sepulcrum venerabundus statim accessit, vetus sacellum in novam formam a solo reficiendum curavit, iussitque, fundi illius possessionem terminis ad tria millia prolatis, in templi tuitionem perpetuo adtribui. Urbs interea cryptae propinqua, quae hactenus Iria Flavia vocabatur, ex visu elucentis stellae potioribus auspiciis Compostellae sibi nomen imposuit. — Sed ad illustrandum Apostoli sepulcrum, praeter illud coeleste signum, non pauca divinitus facta sunt, ita ut non modo ex finitimis civitatibus et oppidis, sed a longinquis etiam locis ad sacros cineres supplicatum populi venirent. Quare Rex Alfonsus III Decessoris sui exemplum imitatus exaedificationem amplioris templi aggressus est, ita tamen ut antiquus loculus intactus maneret, et illud properata molitione absolutum regio sumptu exornavit.

KAL. NOVEMBRIS 1884.

restauratur,

ac novo sacello moxque ampliore templo decoratur;

urbi autem vicinae nomen Compostellae imponitur.

Exeunte saeculo X efferatae Arabum copiae, rursus in Hispaniam irruptione facta, oppida complura diripuerunt, ac magna civium edita strage, omnia ferro et incendiis vastarunt. Nefandissimus Emirus Almansor, quem sepulcri sancti Jacobi cultus non latuerat, ad direptionem et eversionem animum iam intenderat; quod si perficere potuisset, maximum Hispanorum praesidium, et in quo erat eorum spes omnis, sese expugnaturum arbitrabatur. Quapropter iis, quos praedonibus suis praefecerat, imperat Compostellam recta proficiscantur, urbem adoriantur, templum et sacra omnia dedant igni delenda. At Deus exortum iam et dila-

Saeculo X ab Arabum furore divinitus protegitur,

psum incendium ad presbyterii limen restinxit, et Almansorem eiusque copias foedis verminibus percussit, quibus divexati Compostella discesserunt et fere omnes cum Almansore subita morte perierunt. — Extabant adhuc sparsi circa hypogeum cineres hostilis ferocitatis reliquiae, divini praesidii documentum. Quibus e malis ubi se emersit Hispania, Compostellae Episcopus Didacus Pelaez, in ipsis ruderibus veteris templi ampliorem aedem ab inchoato excitavit, quae, a posteriori Episcopo Didaco Gelmirez, splendidiore cultu et maiestate aucta, Basilicae nomine et iure donata est. Huius Episcopi praecipua cura fuit sacras reliquias sibi traditas recognoscere, et educto in sublime pariete loculum inaccessum reddere. Quae inter agenda ex sacris ossibus particulam quamdam dissociare non dubitavit, eamque sancto Attoni Pistoriensi Episcopo adiectis litteris dono misit. Partem hanc ex hodierna peritorum inspectione compertum est demptam fuisse ex capite: ea enim est, quae apophisis mastoidea vocatur, sanguine adhuc respersa, utpote quae gladii ictu, quum caput cervicibus abscinderetur, percussa est. Hae reliquiae prodigiorum fama et avita civium religione sanctae singulari pietatis studio coluntur adhuc ab Ecclesia Pistoriensi. — Interea Hispaniensis Sanctuarii fama longe lateque pervulgata, innumerabiles peregrinorum cohortes ex universis fere terrarum partibus illuc confluebant, et adeo crevit frequentia, ut ingentibus peregrinantium catervis ad sancta Palestinae loca et limina Apostolorum Petri et Pauli, merito compararentur. Ac proinde Romani Pontifices Decessores Nostri dispensationem voti de peragenda Compostellana peregrinatione suscepti, Apostolicae Sedi reservarunt.

paulo post Basilica aedificatur,

ingentibus peregrinantium catervis honoratur.

Saeculo XVI nondum exacto, coorta est foeda et atrox tempestas, qua per Hispaniam fere totam saeviente, sacrum Apostoli sepulcrum in periculo fuit non tam communi, quam proprio. Indicto enim bello Hispanos inter et Britannos, hi, qui a catholica fide ad haeresim desciverant, praedari et diruere catholicorum templa, et sacra omnia violare et delere sibi constituerant. Quapropter in Gallaecia, regione mari citima, exposito exercitu, sacras aedes ever-

Saeculo XVI ob Anglorum timorem sancta corpora a vetere sepulcro remota, et alio in loco abscondita.

terunt, coelitum beatorum imagines, reliquias et quae omnia sanctiora habentur, haeretico furore combusserunt, deinde ad perniciosam, ut aiebant, superstitionem extinguendam, Compostellam versus castra moverunt. — Praeerat id temporis Compostellanae Ecclesiae piissimus Archiepiscopus Ioannes a sancto Clemente, qui collatis cum Canonicis consiliis de sacris Sanctorum reliquiis tuto in loco recondendis, hanc praecipuam de sancti Iacobi exuviis curam sibi suscepit. Sed cum iam hostes instarent, tumultuario opere ab eo clanculum tria corpora condita sunt : cavit tamen ut novus loculus ex veteris illius, romano more constructi, ruderibus constitueretur, ut aliquod superesset posteris eorum identitatis testimonium. Postquam recessum ab armis et belli pericula propulsata sunt, cives Compostellani, et peregrini qui ea loca frequentes adiverant, pro certo habebant sacros cineres eodem esse adhuc in loco ubi primitus composita requieverant. Posteri autem in ea opinione fuerunt qua maiores, ita tamen ut temporibus nostris censerent christifideles in abside sancti sacelli maioris eadem sacra pignora servari, quapropter illuc ad adorandum proprius accederent, et Basilicae Clerus quotidianae supplicationi ibi cum antiphonae cantu finem poneret. *KAL. NOVEMBRIS 1884.*

Cum vero Venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Paya Rico hodiernus Archiepiscopus Compostellanus aliquot abhinc annis restituendae Basilicae operam aggressus esset, consilium cepit, quod iamdiu agitabat animo, investigandi locum ubi sancti Iacobi, et discipulorum eius Athanasii et Theodori reliquiae sitae essent. Quare ad opus tanti momenti viros peritissimos delegit in ecclesiastica dignitate constitutos, qui operarios dirigerent. Sed praeter opinionem omnium res ceciderunt. Explorato enim toto hypogeo et latebris quotquot extant adhuc circum altare maximum nihil repertum est. Demum quo maior cleri et populi ad orandum ferebatur devotio, in centro scilicet absidis post altare maius, et ante aliud altare interius effossum est pavimentum, et cum opus ad duo cubita processisset, occurrit operariis arca, cuius in operculo crux insculpta videbatur. Arca erat lapidibus et lateribus confecta ex antiquiori *Nostro tempore, occasione restitutionis Basilicae, quaesita,* *et feliciter inventa,*

crypta ac sepulcro excerptis. Remoto coram testibus operculo, ossa reperta sunt ad tria sceleta sexus virilis pertinentia. De iis omnibus Venerabilis Frater Cardinalis Archiepiscopus Compostellanus, secundum sacri Concilii Tridentini sanctiones, auditis doctorum piorumque virorum consiliis, et lectissimorum peritorum sententiis, processuales condidit tabulas, inquisitumque est, constaretne in repertis reliquiis de identitate corporum sancti Iacobi Maioris Apostoli et duorum discipulorum eius Athanasii et Theodori? Haec omnia ad ecclesiasticae disciplinae praecepta perpendens, adhibitoque intelligenti iudicio, annuit et approbavit. Deinde idem Venerabilis Frater Archiepiscopus Compostellanus acta omnia et sententiam suam ad Nos misit, petiitque supplex, ut sententia eadem supremo Nostrae Apostolicae auctoritatis iudicio confirmaretur.

Corporum identitas, a speciali Cardinalium et virorum doctorum coetu examinata,

Nos admotas Nobis preces benigne excipientes, cum probe noverimus venerabile sancti Iacobi Maioris sepulcrum inter celeberrima sanctuaria iure posse censeri, quae in toto orbe terrarum a christianis coluntur, sacrisque celebrantur peregrinationibus ad suscepta vota persolvenda: idemque a Decessoribus Nostris Paschali II, Callisto II, Eugenio III, Anastasio IV et Alexandro III datis constitutionibus fuisse privilegiis et honoribus ornatum et auctum, voluimus ut ad tantum negotium ea conferretur diligentia, quam semper Apostolica Sedes adhibere consuevit. Quamobrem ex Sacro Consilio sacris tuendis Ritibus praeposito, aliquot S. R. E. Cardinales destinavimus, nimirum Dominicum Bartolini Praefectum, Raphaelem Monaco La Valletta, Miecislaum Ledochowski, Aloisium Serafini, Lucidum Mariam Parocchi, Angelum Bianchi et Thomam Zigliara; nec non eiusdem S. Congregationis praesules Officiales dilectos Filios Magistros Vincentium Nussi Protonotarium Apostolicum, Laurentium Salvati ab actis, Augustinum Caprara Quaesitorem de honoribus coelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore; quibus idem negotium examinandum commisimus. Conventu habito ad Vaticanas Nostras Aedes die XX Maii vertentis anni, omnibus ad trutinam severa disquisitione vocatis, responsum datum est « *dilata, et ad*

mentem. » Mens vero fuit ut nonnullae animadversiones gravioris momenti accuratius diiudicarentur. — Quae res ut expedite ad exitum perveniret, iussimus dilectum Filium Magistrum Augustinum Caprara, Sanctae Fidei Promotorem Compostellam proficisci, ut ibi singula quaeque inspiceret, inquireret, referret. Ille testibus, quos prius per iusiurandum adegerat, auditis; compositis nonnullis contradictionibus, quae in eorum relatione subesse videbantur; examinatis archeologiae, historiae et anatomiae peritis Matriti et Compostellae, qui de re sententiam ferrent; inspectis vetustioris loculi ruderibus et cum his, quibus arca reliquias continens constituitur, comparatis, nec non inspecto loco sub abside ubi hae inventae sunt; demum quum rursus percunctatus esset peritos physicos de singulis sacrorum ossium partibus, Romam reversus accurata relatione demandato sibi munere perfunctus est. — Quare iisdem collectis comitiis ad Vaticanum die XIX iulii huius anni, dubitationum discussa caligine et veritatis lumine clarius exorto, propositum est dubium « An sententia lata a Cardinali Archie- « piscopo Compostellano de identitate reliquiarum, quae in « centro absidis sacelli maximi Metropolitanae eiusdem « Basilicae repertae sunt et sancto Iacobo Maiori Apostolo, « eiusque discipulis Athanasio et Theodoro tribuuntur, sit « confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur ? » Ac dilecti Filii Nostri Cardinales itemque Praesules Officiales considerantes omnia, quae proposita erant, ita vera et probata esse, ut refellere nequis posset, ideoque cognitionem rei certam adesse, quae secundum sacros canones et Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum Constitutiones in hisce negotiis desideranda est, ita rescripsere : « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* »

KAL. NOVEMBRIS 1884.

et post iteratas investigationes, decisivo iudicio asserta :

Quae cum Nobis a dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini, eiusdem sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, relata fuissent, non mediocri Nos laetitia affecti sumus; et toto ex animo Deo Optimo Maximo gratias egimus, cui placitum est ut Ecclesia sua, in tanta praesertim temporum iniquitate, novo hoc thesauro ditesceret. Propterea supradictam peculiaris sacrorum Rituum Congrega-

sententiam Pontifex confirmat,

tionis sententiam libenter in omnibus ratam habuimus et confirmavimus. Insuper mandavimus ut die XXV iulii sancto Iacobo Apostolo sacra Nostrum confirmationis decretum in Ecclesia Nationis Hispanicae sanctae Mariae de Monte Serrato in Urbe dicata, post Evangelii lectionem ex ambone publicaretur, praesentibus dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et dilectis Filiis Magistris Laurentio Salvati ab actis, Augustino Caprara Quaesitore de honoribus coelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore et Ioanne Ponzi pro tabulario.

Nunc vero ea, quae per supradictum decretum constituta sunt solemniore Apostolicae auctoritatis documento, novoque Nostrae confirmationis actu communire volentes, Decessorum Nostrorum vestigia persecuti, nempe Benedicti XIII, Pii VII et Pii IX, qui de identitate corporum sanctorum Augustini Pontificis Doctoris, Francisci Assisiensis, Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum iudicium tulerunt; Nos quoque quibuscumque dubitationibus et controversiis diremptis, Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Archiepiscopi Compostellani sententiam de identitate sacrorum corporum Beati Iacobi Maioris Apostoli, et sanctorum discipulorum eius Athanasii et Theodori, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus et in perpetuum firmam et validam fore decernimus. Praeterea volumus et iubemus, ne cui fas sit sacras Reliquias, quae iam in veteri conditorio repositae sunt et sigillo super obsignatae, vel earum particulas dissociare, demere vel adsportare sub poena excomunicationis latae sententiae, cuius absolutionem Nobis et Nostris Successoribus omnino reservamus.

eamque ubique locorum promulgari iubet,

Quamobrem committimus et mandamus universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ceterisque Ecclesiarum Praelatis praesentes litteras in sua unumquemque provincia, dioecesi et civitate solemniter publicare, ea meliori ratione, quam expedire censuerint; ut auspicatissimus huiusmodi eventus ubique innotescat, atque aucto pietatis studio illum chri-

KAL. NOVEMBRIS 1884.

stiani omnes celebrent, sacrasque peregrinationes ad sacrosanctum illud sepulcrum, quemadmodum maiores nostri facere consueverunt, suscipiant. — Et quo efficacius pro Ecclesia Sancta Dei et pro universa christiana republica sancti Iacobi Apostoli et eius discipulorum patrocinium impetrare valeamus, omnibus et singulis christianis utriusque sexus, qui vere poenitentes die per locorum Ordinarios seligenda confessi, et Christi corpore refecti in templis ubilibet sancti Iacobi Apostoli Deo dicatis, et iis deficientibus, in quolibet templo ab Ordinariis designando, pro instantibus gravissimis Ecclesiae necessitatibus eiusque exaltatione, pro haeresum improbarumque sectarum extirpatione, sancti Iacobi suppetiis imploratis, pias apud Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam ac remissionem, quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possit, benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

Christifideles omnes ad cultum S. Iacobi invitat, propositis indulgentiis,

Et quoniam nobilissima Hispanica Natio mirifica sancti Iacobi ope fidem catholicam integram inviolatamque servavit, ut Deus misericors ei gratiam impertire velit, propter quam in tanta errorum colluvione, Patrono suo apud Deum medio et sequestro, ad sanctitatem religionis avitae et ad pietatis studium firmet animum, amplissimum privilegium ab Alexandro III Decessore Nostro ei concessum, lucrandi scilicet plenarium Iubilaeum eo anno quo festum sancti Iacobi XXV iulii incidat in Dominicam diem, etiam pro venturo anno concedimus cum ea ipsa die sancto Iacobo sacra festa solemnia inventionis et elevationis corporis eius agenda erunt, ea servata methodo, et cum iisdem facultatibus in Constitutione ipsius Summi Pontificis data die XXV iulii anni MCLXXIX contentis.

Hispanos vero Iubilaei favore donat.

Has quoque litteras et quaecumque in eis contenta nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et in perpetuum validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis

censeri volumus; mandantes, ut earundem praesentium transumptis etiam impressis manu tamen alicuius publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo quarto. kal. novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS.
F. CARD. CHISIUS.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

EPISTOLA

Ad Parisiensem Nuntium Apostolicum.

DE SOPIENDIS INTESTINIS QUERELIS.

IN mezzo alle amarezze ed alle difficoltà che Ci opprimono, mentre i nemici della Chiesa le fanno una guerra accanita, nulla potrebbe recare al Nostro cuore più dolce consolazione che la unione di tutti i cattolici nel sostenere stretti insieme, in una comune resistenza, tutti gli assalti. Noi non possiamo, al contrario, senza un vivo dolore, vedere qua e là destarsi fra i cattolici, intestine querele.

4 NOVEMBRIS 1884.

Quam perniciosae hisce in adiunctis dissentiones :

È in Francia sopratutto, fa d'uopo riconoscerlo, che desse sono scoppiate con una vivacità ognor crescente. La responsabilità ricade in gran parte sui scrittori, e specialmente sui giornalisti. Le loro polemiche appassionate contro le persone, le loro accuse e recriminazioni incessanti, fornendo un alimento quotidiano ai dissensi, rendono sempre più difficili la pace e la concordia fraterna. E tuttavia se havvi nazione alla quale Noi abbiamo di preferenza attestato la Nostra sollecitudine, ed alla quale abbiamo raccomandato più spesso e con maggiori istanze l'unione nella fede e nella carità di GESU CRISTO, dessa è certamente la Francia.

eas praecipue fovent diariorum scriptores.

Tutte le volte che noi abbiamo avuto occasione di indirizzarle la parola, tale è stato sempre il principale oggetto delle Nostre più vive esortazioni. Ed infatti, mentre in seno a questa nazione sette e nemici di ogni genere si uniscono per assalire in tutti i modi la Religione, la Chiesa di Cristo, e nulla trascurano per eliminare da tutti gli organi della vita sociale la sua salutare influenza, quale è per essa il supremo interesse? Quello che tutti i suoi figli cessino dal consumare il loro tempo e le loro forze ad accusarsi ed a combattersi, lasciando cosi ai loro avversarii ogni agevolezza di spingersi sempre più avanti nei loro empii disegni.

Saepe iam inculcata a Pontifice concordia :

Mossi da queste considerazioni, Noi ci rivolgiamo a voi, nostro rappresentante presso la nazione francese, si nobile

ea omnibus curis procuranda et conservanda,

ed amata da noi, affinchè usiate tutti i mezzi che la vostra presenza sui luoghi, la conoscenza degli uomini e delle cose possono suggerirvi per far cessare tra i Nostri figli i dissensi da Noi deplorati. Voi, valendovi dei motivi che abbiamo accennato, applicatevi ad ottenere da tutti, e particolarmente dai redattori di giornali, che lascino attualmente da parte ogni discussione sulle materie che li dividono, che tutti senza distinzione si rimettano con una completa sommessione e tranquillita di spirito agli insegnamenti della Santa Sede su quelle questioni; che tutti uniti nel medesimo sentimento, e sicuri di mantenersi cosi nella via della verità, non si propongano d'ora innanzi che uno scopo: consacrare tutte le loro forze alla difesa della religione, ed alla salvezza della società minacciata.

remotis importunis controversiis.

fiducia in S. Sedem reposita,

Da parte sua, la Santa Sede fedele alla misione che ha ricevuta, di ammaestrare tutti i popoli e preservare i suoi figli dall'errore, segue con occhio attento e vigilante tutto ciò che avvienne in seno alla cattolicità, e quando Essa lo giudicherà necessario ed opportuno, non mancherà nell'avvenire, come non ha mai mancato in passato, di dare al proposito, coi suoi insegnamenti, il lume e la direzione. È alla Sante Sede, innanzi tutto, ed anche, sotto la sua dipendenza, agli altri pastori posti dallo Spirito Santo per governare la Chiesa di Dio, che appartiene di diritto il ministero dottrinale. La parte dei semplici fedeli si riduce ad un sol dovere: accettare gli insegnamenti che loro sono impartiti, uniformare ad essi la loro condotta e secondare le intenzioni della Chiesa.

praestita erga Pastores submissione vere catholica.

In questo i giornali cattolici debbono dare per primi l'esempio. Se infatti l'azione della stampa dovesse riuscire a rendere più difficile ai Vescovi l'adempimento della loro missione, se ne risultasse un indebolimento del rispetto e dell'obbedienza ad essi dovuti; se l' ordine gerarchico stabilito nella Chiesa di Dio ne restasse colpito e perturbato coll'arrogarsi gli inferiori il diritto di giudicare la dottrina e condotta dei loro veri maestri e pastori, l'opera di quei giornali non solo sarebbe sterile pel bene, ma sotto più d'un aspetto, riuscirebbe grandemente nociva.

Vi conforti nell'adempimento di questa missione, e di tanti altri gravi doveri che vi incombono la Benedizione Apostolica. Noi ve la impartiamo come pegno della nostra particolare affezione. *4 NOVEMBRIS 1884.*

Dal Vaticano, 4 nov. 1884.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SEDE ARCHIEPISCOPALI CARTHAGINIENSI RESTITUENDA.

IV IDUS NOVEMBRIS 1884.

MATERNA Ecclesiae caritas, quamquam est in omne hominum genus aequabiliter diffusa et de gentibus singulis mirabiliter sollicita, solet tamen praecipuo quodam misericordiae sensu ad illas respicere, quas ab Evangelii complexu aut vis aut error abstraxit. Nihil enim tam grave est, quam renascente superstitionis caligine obcaecari eos quibus praeclarissimo Dei munere et dono lumen aliquando veritatis affulserat: nihilque tam miserum, quam semel in salutem vindicatos, in interitum relabi. — Atqui arcano Dei consilio istius modi calamitas sicut alias terras non paucas, ita Africam Romanam perculit, cum sapientiam christianam mature Afris cognitam et receptam maximarum tempestatum fluctus violenter extinxerint. In quo praeter modum luctuosa fortuna Carthaginis: hanc quippe christianis non minus quam bellicis civilibusque praestantem laudibus calamitosae vicissitudines suis ipsam ruinis oppressam funditus deleverunt. Harum cogitatio rerum facit ut Nos, officii Nostri apostolici memores, ad maritimas Africae oras, quae prope sunt in conspectu positae, non sine paterna pietate hoc tempore intueamur. Quoniamque videmus catholicum nomen satis iam in illo tractu reviviscere, volumus ut bona illa seges, quae uberes pollicetur fructus, cultura et curatione Nostra altiores quotidie radices agat, beneque Deo adiuvante adolescat. Quamobrem cum ad rei sacrae stabilitatem atque ordinem omnino plurimum referat, singulis christianorum societatibus suos sibique proprios praeesse Episcopos, arbitrati sumus, spectato Ecclesiae Africanae statu, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem restitui, sublata administratione Apostolica, oportere.

Pontificum Romanorum sollicitudo peculiaris de his gentibus quae prius fidei beneficio donatae in infidelitatis tenebras relaposae sunt.

Antiquae Ecclesiae Africanae ortus

Qua in re libet quidem aliquid cogitatione repetere de pristino eius Ecclesiae splendore, atque a praeteritarum rerum memoria auspicium capere futurarum. Sane Eccle-

siam Africanam e Romana prognatam esse constat, cum ab ultima antiquitate traditum sit, si minus beatum Petrum, certe proximos eius successores Evangelium Afris attulisse. Apud quos christianum nomen apparet celeriter adultum : altero enim nondum exacto saeculo, descriptis finibus impositisque rite Episcopis, plurimae per Africam Ecclesiae constitutae sunt. Easque disciplina floruisse vel ex eo coniici licet, quod ante exitum saeculi secundi Ecclesia catholica Pontificem ex Africa accepit, scilicet sanctum Victorem, qui, christiana republica naviter gesta, decennio post Martyr occubuit. — Brevi autem intervallo non mediocris extitit copia sapientium hominum atque magnorum : Cyprianum intelligimus, Tertullianum, Aurelium, Evodium, Possidium, et qui non Africam modo sed universam christianam rempublicam unus maxime illustravit, Augustinum.

prospera conditio, gloriae.

Ab ipsis vero Ecclesiae Africanae primordiis praestitisse Carthaginem nemo dubitat. Huius enim civitatis Episcopis ius est mature quaesitum ut ceteros potestate anteirent, ipsaque Carthaginiensis Ecclesia, ut est apud Augustinum (1), caput Africae appellaretur. Revera tanta erat Carthaginiensium Pontificum per Africam auctoritas, ut de caussis Ecclesiarum cognoscere consueverint : item responsa Episcopis dare, legatos ad Principem mittere, concilia omnium provinciarum indicere. Qua de re perhonorificum et gravissimum est sancti Leonis IX Decessoris Nostri testimonium, qui de iure Archiepiscopatus Carthaginiensis sententiam rogatus, ad Thomam Episcopum sic rescripsit : « Sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepi- « scopus et totius Africae maximus metropolitanus est « Carthaginiensis Episcopus : nec pro aliquo episcopo in « tota Africa perdere potest privilegium semel susceptum « a sancta romana et apostolica Sede, sed obtinebit illud « usque in finem saeculi et donec invocabitur in ea nomen « Domini Nostri IESU CHRISTI, sive deserta iaceat Carthago, « sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex concilio B. martyris

Sedes Carthaginiensis caeterarum caput dignitate,

1. Epist. XLIII, num. 17.

« Cypriani : hoc ex synodis Aurelii : hoc ex omnibus « Africanis conciliis ; hoc, quod maius est, ex venerabilium « Praedecessorum Nostrorum romanorum Praesulum de« cretis aperte monstratur. »

virtutum exemplis, Verum non dignitate solum, sed etiam christianarum virtutum, ac nominatim fortitudinis exemplis visa est Carthago antecellere. Etenim, si urbs Roma excipiatur, vix alia reperietur civitas quae tot martyres ac tam praeclaros Ecclesiae coeloque genuerit. Praedicatione et cultu serae posteritatis florent prae ceteris Perpetua et Felicitas, par feminarum nobilissimum, quarum tanto mirabilior victoria, quanto diutius cum quaesitissimis cruciatibus infirmitas sexus dimicavit. Nec minus inclyta magni Cypriani palma. Nam sanctitate et rebus gestis Carthaginem, stilo et litteris christianum nomen cum multos annos nobilitasset, ad extremum in media Ecclesia sua, spectantibus iis quos ipse ad martyrium instituerat, praeclarissima confessione defunctus vitam cum sanguine pro Christo libens profudit.

Atque illud quoque memoriam Carthaginiensis Ecclesiae *conciliis.* non parum commendat, Africanos episcopos ad eam vocatu Archiepiscopi convenire solitos, de communibus religionis negotiis una deliberaturos. Ac plura quidem diversis temporibus condidere sapienter decreta, ex quibus non pauca supersunt, et quorum vel ad comprimendas haereses, vel ad morum disciplinam in Clero populoque sancte retinendam, plurimum valuit auctoritas. Fama memor celebrat in primis Concilium Carthaginiense tertium ab Aurelio episcopo viro fortissimo habitum, quo sanctitatis ingeniique sui lumen Augustinus attulit. — Huiusmodi vero tam salutares fructus, Episcopis Carthaginiensibus nitendo laborando perceptos, coniunctioni protissimum cum hac Apostolica Sede acceptos referri oportet. Cum enim esse intelligerent divino iure constitutum ut Ecclesia Romana cunctarum Ecclesiarum princeps sit et magistra, et tamquam ex radice ad ramos, sic ex ea ad Ecclesias singulas omne principium vitae et viriditatis manare, nihil antiquius habere consueverunt, quam ut permanerent cum

IV IDUS NOVEMBRIS 1884.

successoribus beati Petri perpetuo atque intimo nexu devincti. Quod quidem varia litterarum monumenta, acta Conciliorum, legationes de gravioribus negotiis ad Pontificem romanum non raro missae, nominatimque Optati et Cypriani epistolae gravi auctoritatis pondere testantur. Atque illud est memoratu dignum, quod eiusmodi in Apostolicam Sedem obsequium non diuturnitate temporis est, neque formidolosis illis rerum conversionibus debilitatum. Ex quo geminum Africa beneficium tulit, alterum ut in maximis suis calamitatibus perfugium quoddam et solatium in Apostolica Sede semper invenerit: alterum, ut romanorum Pontificum magisterio praesidioque freta perniciosissimas haereses partim repulerit, partim extinxerit.

Ecclesiae Africanae ruina, opera Vandalorum,

Sed spatium temporis haud valde longinquum gloriose emensa, consenescere Ecclesia Africana coepit et ad occasum deflectere, ita tamen ut multo fuisset victura diutius, nisi vitam illata vis peremisset. Non enim senio ipsa suo confecta interiit, sed barbarorum armis oppressa succubuit. Revera exploratum est quantum Afris malorum attulerint Vandali: quorum effrenati exercitus ubicumque vestigium posuissent, ad direptiones urbium caedemque civium Arianae venena pestis adiungebantur: ac tantus erat ubique terror, ut catholici *nullatenus respirarent, neque usquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus* (1). Saeculo autem septimo, Saraceni, hostes christiani nominis, cum easdem provincias, more procellae, inundavissent, acerbissimae servitutis iugo indigenis imposito, Carthaginem ipsam tot iam fessam aerumnis, igne ferroque exciderunt, planeque perniciem et vastitatem Ecclesiae intulerunt. Quibus temporibus saeviente passim adversus fidem catholicam furore hostium, rursus martyrum seges, et magnus Confessorum numerus, et fortium Episcoporum et sacerdotum egregii manipuli extitere, ut prorsus sicut cum laude Africana Ecclesia adolverat, ita cum dignitate oecubuisse videatur. — Tantis autem in tenebris, quae consecutae sunt, Carthaginienses Episcopi duo apparent, vix plus quam nomine cogniti: Thomas, de quo supra est facta mentio, et Cyriacus. Nam

et Saracenorum.

1. Victor Vitensis, *Pers. Vand.* lib. I, c. 7.

qui saeculo decimo quinto posteaque occurrunt, plerique omnes ornamentarii fuerunt.

De conversione et salute gentium Africanarum sollicitus S. Franciscus Assisiensis:

Quinto a Saracenorum dominatione saeculo, cum germanae Ecclesiae vix pauca ac prope evanescentia vestigia in Africa superessent, inventus est in Italia, qui salutem Africani generis ingenti animo complexus, de religione catholica illic restituenda cogitaret. Is fuit, quod nemo ignorat, Franciscus Assisiensis: qui Tunetum, ad oppidum Proconsularis Africae princeps Carthaginique proximum, Aegidium et Electum alumnos suos submisit, iussitque in iis hominibus ad instituta catholica revocandis, quantum possent, elaborare. Anceps et salebrosum inceptum, si quod aliud: in quo multum uterque desudavit caritate et fortitudine summa: alter vero sanctissimi propositi laudem nobili martyrio cumulavit. — Mox Gregorius IX Decessor Noster alios ex illo ipso instituto viros eodem in culturam animorum legavit: illorum tamen laboribus barbarica vexatione interceptis, necessario factum est ut terra Africa apostolicos viros ad saeculum usque decimum septimum nullos habuerit. Tunc demum, auctoritate sacri Consilii christiano nomini propagando, Praefectura apostolica instituta est, quae Algeriensem, Tripolitanam, ac Tunetanam provincias una complecteretur: eamque sodales Franciscales Capulati gerere iussi. — Deinde Praefectum Apostolicum seorsim creari placuit, cuius potestati quidquid est agri Tunetani subesset: iidemque religiosi sodales ad id munus electi. Qui laboriosum opus, animose susceptum, animo aeque excelso expleverunt, ut omnino dederint, quid caritas possit, passim documenta maxima. Nam in tam agresti Saracenorum immanitate incredibiles molestias pertulerunt: plurimique numerantur, qui coeli inclementia absumpti, qui ferro barbarorum sublati, qui vigiliis perpetuisque fracti laboribus martyrii honores delibarint. Sed eorum constantia religionis incremento mire profuit: nec exiguae illae utilitates putandae, quas recentiore memoria Afris pepererunt, nimirum paroeciae aliquot conditae, scholae in eruditionem puerorum apertae, et quaedam in solatium calamitosorum pie instituta.

sodalium Franciscanorum labores et merita.

IV IDUS NOVEMBRIS 1884.

Ineunte hoc saeculo, cum militares Gallorum copiae in Africam adnavigassent, inque maritimis oris victrices consedissent, constituta ibidem provincia est, cuius imperium apud eos esse coepit. Haud multo serius, dato Algeriensibus Episcopo, amplissimae illae regiones, quae a Saracenis diuturno dominatu tenebantur, veteris dignitatis aliquid recepisse visae sunt. — Deinde Dioecesibus Constantinae et Orani institutis, pluribus locis, in quibus olim Ecclesia sospes et florens insederat, sanctissimi ritus catholici longo intervallo sunt restituti. Ipsa Tunetana regio, cum christianorum crevisset numerus, mutata in Vicariatum apostolicum Praefectura, Episcopum a Romana Sede accepit. Atque ex eo tempore provisa sunt multa ad christianam morum disciplinam salubria : amplificatae paroeciae : auctae scholae : sodalitates pietatis caussa plures coalitae.

Nostro tempore, Gallis imperantibus, institutae tres dioeceses in ora Algeriensi.

Haec satis prospera initia spem plurimis feccrant fore ut, deductis coloniis in eum tractum in quo sita Carthago fuit, revocari aliquando ab interitu posset Africanarum princeps urbium, et secundum instituta maiorum novum a Pontifice Romano Episcopum accipere. Cui quidem spei partim respondisse exitum laetamur: cetera responsurum, Deo adiutore, non diffidimus. Nam Vicariatus Tunetani administrationem adeptus Archiepiscopus Algeriensis S. R. E. Cardinalis Carolus Martialis Lavigerie, ad propagationem fidei stabilemque rei sacrae constitutionem vir sapiens atque impiger animum appulit. Multas res perfecit utiliter spatio perbrevi : nec pauca suscepit ad excitandam e cineribus suis Carthaginem opportuna. Et sane in regione *Megara* proxime a situ, quem Cyprianus cruore suo dedicavit, nec longe admodum a loco sepulturae eius, in ipsis ruinis Carthaginiensibus aedes episcopales cum aedicula extruxit: ibique accolae et finitimi, praesertim egentes et calamitosi, miseriarum solatium quotidie reperiunt. Presbyteros in ipsa domo episcopali, itemque Tuneti, aliisque Vicariatus frequentioribus locis ad officia sacerdotalis muneris obeunda constituit : quibus ipsis officiis sodales Franciscales Capulati dare operam strenue perseverant. In regione, quae *Byrsa* audit, Seminarium Carthaginiense condidit : cuius alumni in

In tractu autem Tunetano multa praestita a S. R. E. Card. Lavigerie.

novae Dioecesis spem succrescentes ad theologiam, ad philosophiam, ad humaniores litteras idoneorum doctorum curis magisterioque erudiuntur. Ad Paroecias pristinas novas adiunxit non paucas: unamque ex iis in sacello constituit, quod a sancto Ludovico nuncupatur, eo ipso in loco unde rex pientissimus ab hac brevitate vitae ad sempiterna in coelis bona evocabatur. Praeterea hospitalem domum senectute et egestate coniuncto incommodo laborantibus; valetudinarium aegrae plebi curandae: aedificia adolescentibus utriusque sexus educandis aperuit. Quibus illecti commodis et beneficiis satis multi iam incolere ea loca coeperunt in spem auspiciumque revicturae civitatis. Denique perfecit, ut ad tuitionem Archiepiscopi rerumque coeptarum absolutionem necessarii sumptus perpetuo suppeterent.

Sedes Carthaginiensis restituitur.

Igitur cum haec, quae commemorata sunt, diligenti consideratione momentoque singula suo ponderaverimus, perrogata etiam sententia sacri Consilii christiano nomini propagando; quod universae christianae reipublicae faustum sit, maximequc Afrorum saluti ac dignitati bene vertat, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem harum litterarum auctoritate restituimus. Propterea que eos fines agri Tunetani, in quibus olim Carthago erat, quique hoc tempore quinque pagos complectuntur nempe *La Marsa*, *Sidi Bou Saiid*, *Douar es Chott*, *La Malga*, *Sidi Daoue* cum suis templis, oratoriis, piis etiam institutis, cumque universis utriusque sexus catholicis incolis, exire de potestate Vicarii Apostolici Tunetani, et Archiepiscopo Carthaginiensi in posterum subesse et parere iubemus.

E templis, quae sunt intra fines civitatis, Metropolitanum esto, quod is, qui haec decreta Nostra perfecturus est, maluerit, titulo tamen non mutato.

Archiepiscopus Carthaginiensis Vicarium sibi generalem unum pluresve, si res postulaverit, adsciscat: insuper consiliarios adiutoresque ad expedienda Archidioeceseos negotia ex ordine Cleri legat. — Idem controversias de matrimoniis, caussasque ceteras, de quibus Archiepiscopum cognoscere ius est, cognoscat et dirimat. Cetera omnia, quae ad pastoralis

officii munus pertinent, liber gerat. — Synodos Dioecesanas constitutis lege temporibus habendas curet. Collegium Canonicorum Metropolitanorum, secundum praescripta legum ecclesiasticarum, ubi primum fieri poterit, instituat. Unus ex Canonicis primus esto in Collegio, Archidiaconi dignitate auctus ; duoque canonice eligantur, quorum alter Theologi, alter Poenitentiarii officium gerat. Seminarium Carthaginiense educendis sacrorum alumnis perpetuo addictum sit. — Per interregnum administratio Archidioeceseos geratur secundum praescripta Litterarum Apostolicarum Benedicti XIV *Ex sublimi* et *Quam ex sublimi*. *IV IDUS NOVEMBRIS 1884.*

De Ecclesiis Suffraganeis, de finibus describendis, itemque reliquis de rebus, quae ad perfectam Archidioeceseos constitutionem pertineant, integrum Nobis esse volumus id quod expedire videbitur opportune decernere. — Demum Venerabili Fratri Nostro Carolo Martiali S. R. E. Cardinali Lavigerie Archiepiscopo Algeriensi, Administratori Tunetano, mandamus ut ea omnia, quae his continentur Litteris Nostris, exequatur : idque vel per se, vel per interpositam personam in ecclesiastica dignitate constitutam.

Volumus autem omnia et singula, quae per has Litteras decrevimus, firma, stabilia, rata, uti sunt, ita in omne tempus permanere : neque iis quidquam officere ullo modo posse, ne Nostras quidem et Cancellariae Nostrae regulas, quibus omnibus, horum decretorum gratia, derogamus. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo quarto, quarto Idus novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS. — F. CARD. CHISIVS

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. CVGNONIVS.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales.

DE ECCLESIAE INTER PROCELLAS INCREMENTIS.

10 NOVEMBRIS 1884.

QUAM aspera in Ecclesiam saevire procella pergat, quam crebrae sint ob hanc caussam quamque graves Nobis praesertim, qui ad gubernacula sedemus, sollicitudines animi subeundae, nemini fortasse melius est quam Vobis cognitum, qui in administranda christiana republica consilium Nobis operamque praestare pro dignitate vestra soliti, saepe in mediis rerum difficultatibus Nobiscum una versamini. Postea vero quam, datis in id Litteris Encyclicis, consilia et artes societatum clandestinarum libere aperuimus, quod omnino a Nobis et officii Nostri et salutis publicae ratio postulabat, inveterata inimicorum odia gravius etiam videntur exarsisse, ut metuendum sit ne magis laboriosa certamina dies afferat. — Verumtamen quoscumque demum casus inimica vis invexerit, securi suscipiemus: in tutela enim patrocinioque Dei omnipotentis conquiescimus, cuius est beneficio datum tributumque Ecclesiae suae, ut, eo auspice et adiutore in onne tempus victrix, in ipsis dimicationibus crescendi caussas inveniat. Quod quidem si superiorum saeculorum, quotquot ab Ecclesia condita fluxerunt, non esset memoria testatum, satis ea confirmarent quae Nos ipsi hoc tempore perspicimus. Ecce hoc ipso teterrimo bello, quod adversus catholicum nomen diu deflagravit, nihil sibi metuens Ecclesia defungitur: atque in eo maxime triumphat, quod in tam pervagata opinionum morumque corruptela, quando summum bonum, quae est fides christiana, circumfusis undique insidiis in periculo vertitur, non rara occurrunt experrectae virtutis documenta, concordiaeque, caritatis, fortitudinis exempla passim in populo christiano renovantur — Eodemque tempore novas easque peramplas regiones Evangelio christiano videmus Dei munere reclusas. Viget

Dum teterrimum bellum adversus Ecclesiam geritur,

in populo christiano virtutis, concordiae, fortitudinis documenta renovantur,

fides late propagatur.

catholicum nomen in America : foederatarum civitatum Episcopi hoc ipso mense concilium acturi sunt, deque ecclesiastica disciplina rite ordinanda communi iudicio deliberaturi. Viget idem ac propagatur apud Australianos, apud Indos, variisque Orientis partibus, ita ut christianorum multitudo quotidianis propemodum aucta incrementis alios atque alios vicario munere apostolico rectores persaepe requirat.

De Africa bene sperare iubent multa a S. R. E. Card. Lavigerie suscepta et praestita.

De Africa vero, quamvis magna adhuc pars christianae sapientiae expers cultu inhumano vilescat, illud tamen Nos iucunde afficit beneque in posterum sperare iubet, quod instituta christiana satis iam coluntur in septentrionali, quae mari alluitur, ora. — Qua in re non exigua sunt merita unius viri ex amplissimo Collegio vestro, qui communi Africanae gentis saluti quam maxime intentus, instantia et laboribus assecutus est, ut brevi annorum cursu multa praeclare facta concluderet. Itaque de istius regionis bono valde solliciti sumus ; et dum de provehendis per Africanas plagas commerciis civilique cultu his ipsis diebus in Europa consulitur, Nos quidem auspicatiore ad salutem consilio Evangelii lumen per ea loca propagare tuerique conamur. — Atque in primis cogitationes Nostras ad se hoc tempore convertit illa non tam urbs, fere enim nulla est, sed memoria urbis opulentae olim atque imperiosae, Carthaginem intelligimus : quam si memori admiratione suspiciunt posteri, quod multis rebus pace belloque floruerit totius Africae princeps et romanae aemula magnitudinis, multo magis suspiciant ob christianas laudes oportet. Ipsa quippe, nota omnibus et vulgata commemoramus, religionem christianam sibi ab urbe Roma allatam maturrime complexa est, tamque studiose retinuit, ut sanctissimorum virorum proventu martyrumque fortissimorum numero cum paucis civitatibus comparanda sit. Carthaginiensibus Episcopis iam inde ab ultima antiquitate haec dignitas obtigit, ut primatiali potestate Africae universae praeessent. Quod si postea, semel atque iterum vastantibus Africam barbaris, omnia cum religiosa tum civilia decora uno interitu occiderunt, ipsa civitate principe funditus deleta, permansit tamen veterum

gloria meritorum, maximeque laus Sedis Archiepiscopalis, quam magnus Cyprianus sapientia et virtute sua non paucos annos nobilitatam martyrio demum consecravit. — Nos igitur harum rerum cogitatione adducti paternaque benevolentia christianos ex Africana gente complexi, cum magnopere velimus administrationem rei sacrae apud eos firmius stabiliri, maturum esse censuimus, ut throni Archiepiscopalis honor, auctoritate Nostra, Carthagini restitueretur: quapropter hac de re Litterarum Apostolicarum exempla vobis singulis, Venerabiles Fratres, propediem reddi iussimus.

Restituta Sedes Archiepiscopalis Carthaginiensis.

Minime dubitamus, quin pro summo vestro in Ecclesiam studio magnopere iucunda Vobis accidat ista pervetustae Sedis Archiepiscopalis velut ad vitam revocatio : eodemque tempore non minus gratum acceptumque Vobis fore confidimus, quod amplissimum Collegium vestrum supplere viris decrevimus bene de Ecclesia meritis, quos doctrina, virtus, rerum usus, munera gesta valde commendant. Ii autem sunt :

Cardinalium creatio.

Carolus Laurenzi Episcopus Tit. Amatensis. S. R. et U. Inquisitionis Assessor, quem S. R. E. Cardinalem Ordinis Presbyterorum in Consistorio Secreto die 13 decembris 1880 creavimus, hodieque publicamus :

Michaelangelus Celesia, Archiepiscopus Panormitanus ex Ordine S. Benedicti.

Antonius Monescillo y Viso, Archiepiscopus Valentinus :

Guilielmus Massaia, Archiepiscopus Tit. Stauropolitantus, ex Ordine Minorum Capulatorum :

Caelestinus Ganglbauer, Archiepiscopus Viennensis ex Ordine S. Benedicti.

Zephyrinus Gonzalez y Diaz, Archiepiscopus Hispalensis, ex Ordine Praedicatorum :

Carmen Merosi Gori, S. Congregationis Consistorialis et S. Collegii Secretarius :

Ignatius Masotti, S. Congregationis Episcoporum et Regularium Secretarius :

Isidorus Verga, S. Congregationis Concilii Secretarius.

Quid vobis videtur? *10 NOVEMBRIS 1884.*

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales.

MICHAELANGELUM CELESIA
ANTONIUM MONESCILLO Y VISO
GULIELMUM MASSAIA
CAELESTINUM GANGLBAUER
ZEPHYRINUM GONZALEZ Y DIAZ

et Diaconos Cardinales

CARMINEM MEROSI GORI
IGNATIUM MASOTTI
ISIDORUM VERGA

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

ORATIO

Ad Moderatores et Alumnos

Seminariorum Collegiorumque Urbis

DE SCIENTIA ET PIETATE SACERDOTALI.

18 IANUARII 1885.

ALACRITAS ista et concordia pietatis, quae post saecularia solemnia in honorem Caroli Borromei huc vos, dilecti filii, hodierna die perduxit, obsequium Nobis vestrum coram significaturos, sicut digna clientibus est magni sanctissimique Episcopi, ita Nobis accidit periucunda; eamque libenti et grata voluntate complectimur. Quin imo cogitatione permotos tanti viri, qui de clericorum disciplina egregie et in exemplum meruit, ipse Nos adspectus vester non parum delectat. — Vos enim cum intuemur, ad ceteros etiam sacrorum alumnos collegas vestros sponte provolat cogitatio: iuvatque animo cernere nondum sane maturitatem, sed spem et exspectationem quam universi sustinetis, quaeque maior est in praesens, quam forte alias. — Nam grande et sacrosanctum sacerdotale munus, cui vos, Deo adspirante, proluditis, aliquanto est ad gerendum difficilius in hac asperitate temporum: propterea quod, nimis iam multis Dei recusantibus imperium, Ecclesiamque divinitus conditam in excidium petentibus, quotidianae sunt dimicationes subeundae pro rebus maximis et praestantissimis, quibus non modo privata sed etiam publica hominum continetur salus. Laborante vero ab hostilibus odiis Ecclesia catholica, ipsos eius administros in eadem esse invidiae flamma necesse est. — Hinc multa Clerum circumveniunt perpessu aspera; ita ut quicumque nomen sanctae huic militiae dare decreverint, plus fortasse in hoc vitae cursu habituri sint quod angantur, quam quod gaudeant.

Munus sacerdotale aliquanto ad gerendum difficilius in hac asperitate temporum.

Nihilominus erigere animum oportet, dilecti filii, conscientiaque officii et fide promissorum IESU CHRISTI opportune confirmare. Cessuri quippe aliquando sunt errores veritati: freta Deo, ad immortalitatem nata, omnes inimi-

corum conatus invicta et sospes eludet Ecclesia. — Verumtamen in tam formidolosa hostium conspiratione, Clerus omnis victoriam nomini catholico deproperaturus, descendat in aciem opus est, duasque res afferat magnopere necessarias, cognitionem scientiarum eamque minime vulgarem, et animum pro salute communi fortia facere et pati paratum. — Hac Nos de caussa curas non mediocres neque postremas in adolescentibus clericis posuimus, itemque in posterum, Deo iuvante, posituri sumus; nimirum ut in spem sacerdotii diligenti praeparatione erudiantur, virtutibus iis, quas maxime diximus hoc tempore necessarias, mature comparandis. — Maiorum rerum scientiam quod spectat, utiliter videmur et convenienter temporibus fecisse, quod ad disciplinam Thomae Aquinatis studia clericorum revocavimus. Et hac de re quod per litteras, nec semel, aperte monuimus, idem hodie viva voce renovamus : angelicum Doctorem oportere ducem ac magistrum sequi : in quo vos, dilecti filii, quanto plus operae studiique collocaveritis, tanto plus ad excellentiam doctrinae proprius accessisse iudicatote. — De pietate vero, de studio hominum servandorum, intuemini in ipsum istud Ecclesiae catholicae lumen ac decus, Carolum Borromeum, patronum vestrum coelestem : ab eoque arripite in hoc genere formam officii. Is enim, ut probe scitis, politus doctrina et litteris, praeclaras istas ingenii opes in utilitatem Ecclesiae et salutem transtulit proximorum, industria et assiduitate mirabili. In omni autem actione vitae immortalia sacerdotalis fortitudinis exempla reliquit : itemque per infensa, ut tunc quoque erant, Sedi Apostolicae tempora, nihil habuit sanctius, quam ut in obtemperatione Romano Pontifici confidenter acquiesceret, omnem inde sumens et cogitandi normam et agendi. — Date igitur operam, dilecti filii, ut tantam viri praestantiam, si minus consequi licet, liceat saltem, quantum contentione potestis, imitari. Atque in hoc imitandi Caroli Borromei studio, si quicquam curae est proficere, saepe et multum cogitate, neque illum efficere tantas res potuisse, neque vos posse ullas sine caritate, quae omnium est domina et regina virtutum. Nos itaque enixe obsecramus

Sacerdoti duo nunc maxime necessaria, scientia non vulgaris, et virtus animi eximia.

Quoad scientiam oportet Angelicum doctorem ducem et magistrum sequi.

Quoad pietatem, exemplar et patronus adest S. Carolus Borromaeus.

Deum *qui caritas est*, ut hanc diffundat in cordibus vestris, vosque augeat cunctis muneribus coelestibus, quorum auspicem vobis, dilecti filii, Benedictionem Apostolicam peramanter in Domino impertimus.

EPISTOLA

Ad Sinarum Imperatorem

DE PACE MISSIONARIIS SERVANDA.

I FEBRUARII 1885.

COMMOTUM nuper bellum in quibusdam Imperii Tui regionibus impellit Nos ut benignitatem et clementiam Tuam demereri studiis officiisque Nostris nitamur, ne qua forte in religionem catholicam pernicies ex dimicationibus bellicis consequatur. In quo quidem, et fungimur officio debito, cum Nostrum sit rem catholicam ubique terrarum, quantum possumus, tueri : et exempla sequimur Decessorum Nostrorum, qui Missionariis ex Europa multitudinique christianae potentes Principes maiores Tuos non semel exoravere. Illud vero magnam Nos in spem erigit, quod hoc etiam tempore propensae in christianos voluntatis Tuae non defuerunt testimonia : intelleximus enim, ad primos belli motus, decretum esse auctoritate Tua ne violarentur christiani, neu quid ipsis ex Gallica gente Missionariis iniuriae fieret. Qua in re aequitatem, maxime Princeps, humanitatemque Tuam nemo non agnoverit. Eo vel magis, quod quotquot ex Europa sacerdotes in florentissimo Imperio Tuo, Evangelii caussa, versantur, a Romanis Pontificibus mittuntur, a quibus ipsis et munia, et mandata, et omnem accipiunt auctoritatem. Neque una dumtaxat e gente iidem eligi solent ; plurimi hoc tempore numerantur ex Italia, ex Belgio, Hollandia, Hispania, Germania, qui amplissimae ditionis Tuae decem provincias excolunt. Sacerdotes vero cum e Societate Iesu, tum e Congregatione Missionum, qui aliis in provinciis elaborant, ex diversissimis gentibus collecti sunt. Idque plane cum natura congruit religionis christianae, quae, non uni populo sed omnibus nata, homines universos, nullo nec loci discrimine nec generis, fraterna inter se necessitudine coniungit.

Exemplo Praedecessorum suorum Pontifex Missionarios et christianos Sinenses Imperatori commendat.

Aequum est ut occasione belli cum Gallis suscepti nihil detrimenti subire cogantur sacerdotes Europaei ;

non enim e sola Gallia veniunt sed e variis nationibus eliguntur, et omnes a Pontifice ipso mittuntur ;

Eorum autem, qui in Evangelio elaborant, ipsis rebus publicis valde salutaris est opera. Nam a politicis negotiis

a politicis abstinere iussi toti sunt in sapientia Christi disseminanda, quae societati humanae maxime est proficua;

abstinere iussi, toti in eo esse debent, ut sapientiam IESU CHRISTI disseminent ac tueantur. Illa vero praecipua doctrinae christianae praecepta sunt, Deum timere, et omnibus in rebus iustitiam integre inviolateque servare: unde consequitur, subesse magistratibus oportere, parere legibus, honorem Regi habere non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam : quibus virtutibus nihil profecto est aptius ad multitudinem in officio continendam, conservadamque publicam securitatem.

plurimas Sinensibus utilitates iam olim attulerunt

easdem in posterum afferent.

Revera catholici ex Europa sacerdotes, qui in potentissimo Sinarum imperio aliquot iam saecula apostolicum munus insistunt, tantum abest ut potestati publicae rebusque civilibus quicquam attulerint incommodi, ut plurimas utilitates, omnium consensu, pepererint : idque sane assecuti sunt primum christiana morum disciplina provehenda, deinde propagatione litterarum reliquarumque artium, quibus gentium humanitas continetur. — Quoniam vero eadem mens idemque iis est propositum, qui nunc Sinenses ad instituta christiana erudiunt, dubitare non potes, quin eos ipsos pari voluntate fideque nomini et maiestati Tuae semper obsequentes experiare.

Nos igitur, potentissime Imperator, de significationibus benevolentiae in illos Tuae gratias Tibi plurimas et agimus et habemus : simulque Te, pro ea qua praestas clementia, vehementer obtestamur, ut in praesentibus rerum vicibus eos benignitate Tua complectaris firmissimoque patrocinio tegas, nihil ut detrimenti capiant, et tuta in munere suo libertate, beneficio Tuo, sine ulla offensione fruantur.

Interim Deum coelorum terrarumque dominum obsecramus, ut Te, Princeps clarissime, uberrimis bonitatis suae muneribus perpetuo prosperare velit.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 februarii 1885, Pontificatus Nostri anno septimo.

LEO PP. XIII.

ORATIO

AD ADMINISTROS ET SODALES SOCIETATUM REI CATHOLICAE INTER OPIFICES CURANDAE IN GALLIA.

C'EST avec une particulière satisfaction, très chers fils, que Nous agréons les sentiments si profondément chrétiens que vous venez de nous exprimer. Nous Nous réjouissons vivement de cette nouvelle manifestation de foi des associations catholiques de France et notamment de l'œuvre des cercles catholiques d'ouvriers, que vous représentez ici en ce moment. Cette œuvre est digne de toute louange, et Nous ne pouvons qu'approuver hautement la pensée qui vous en a inspiré la création. Effrayés du désordre et de la confusion engendrés dans les idées et dans les mœurs par les doctrines révolutionnaires, vous vous êtes déterminés à étudier à la lumière de l'enseignement chrétien, les grandes vérités sociales, et à les propager plus spécialement dans les classes industrielles. Vous avez constaté que les maux, qui affligent la plupart des familles appartenant à ces classes, sont dus surtout à l'abandon des pratiques religieuses et à l'influence des mauvais principes. Et, en effet, l'ouvrier qui ne trouve plus dans la religion le soutien et la consolation dont il a besoin, plus que tout autre, pour supporter les pénibles conséquences de son humble situation, cherchera son bien-être dans les jouissances les plus basses et donnera un libre cours à ses plus viles passions, au détriment de son bonheur moral et au grand péril de la société tout entière. Des faits nombreux et récents en sont, hélas ! une preuve terrible et sans réplique.

24 FEBRUARII 1885.

Laudantur catholicae societates opificum.

Nous vous félicitons, par conséquent, très chers fils, des généreux efforts que vous ne cessez de faire pour ramener aux principes du christianisme les nombreuses familles vouées au travail de l'industrie, et Nous applaudissons aux consolants résultats obtenus jusqu'à ce jour. Continuez à

Sectae praetextu beneficentiae miseris ad suos fines pravos utuntur.

les développer de plus en plus, pour le plus grand bien de tous, des ouvriers surtout. Les agitateurs prétendent se servir d'eux comme d'instruments pour satisfaire leur propre ambition. Ils les trompent par de vaines promesses ; ils les flattent en exaltant leurs droits, sans parler jamais de leurs devoirs ; ils excitent dans leurs âmes la haine des propriétaires et des riches ; enfin, quand ils jugent le moment favorable à leurs pernicieux desseins, ils les lancent dans des entreprises audacieuses, où les meneurs seuls trouvent leur compte.

Ecclesia ut pia mater eis efficaciter succurrit.

Ainsi n'agit pas l'Église de JÉSUS-CHRIST ; comme une mère aimante et désintéressée, elle ne veut et n'ambitionne que le bonheur de ses enfants ; elle applique à leurs maux les seuls remèdes efficaces ; car elle seule a le secret des difficiles problèmes sociaux qui agitent le monde. Nous-même, dans plusieurs circonstances, Nous avons indiqué ces remèdes. Nous avons exhorté les catholiques fidèles de tous les pays à ressusciter les sages institutions ou corporations ouvrières, qui, en des temps meilleurs, sont nées et ont fleuri sous l'inspiration de l'Église, au grand avantage tant spirituel que temporel des classes pauvres et laborieuses. Avec la facilité de remplir les devoirs de la piété chrétienne, ces institutions assurent à l'ouvrier l'éducation, et une instruction convenable pour ses enfants, l'assistance et de charitables secours en cas de maladie ou d'infortune, et un soutien pour sa vieillesse. Elles mettent dans le cœur de tous l'amour à la place de la haine, qui trop souvent isole les ouvriers de leurs patrons. Aux ouvriers elles inspirent le respect et l'obéissance, la fidélité et le dévouement dans le travail ; aux patrons elles rappellent que les chrétiens de toutes les conditions sont des frères en JÉSUS-CHRIST ; que la justice doit présider à tous leurs actes ; que la charité et la douceur doivent tempérer le commandement et les reproches. — Grâce à l'influence de ces salutaires institutions on verrait bientôt cesser cette guerre fratricide dont vous parliez tout à l'heure, et qui, inconnue des siècles de foi, exerce aujourd'hui de si terribles ravages.

Pour ce qui vous concerne, très chers fils, vous avez obéi

à Nos paternelles exhortations, en formant des associations religieuses au sein même de vos établissements industriels. Vous avez compris, en outre, que pour assurer le succès et la durée de votre œuvre, il fallait vous laisser guider par les Pasteurs préposés au gouvernement de vos diocèses. A votre exemple, Nous voulons l'espérer, tous les catholiques influents, faisant taire les dissentiments de partis, qui sont une source de faiblesse, chercheront à s'unir dans un même esprit, pour travailler de concert à l'application et au développement des principes chrétiens dans toutes les classes de la société, et plus particulièrement pour soutenir les œuvres ouvrières, et toutes celles qui ont pour but de favoriser l'éducation religieuse de la jeunesse parmi le peuple. — Ce sera là, sans nul doute, un des moyens les plus sûrs et les plus efficaces pour guérir les maux du présent et pour préparer à l'Église et à la société civile un avenir meilleur. A cette fin et pour fortifier votre courage, très chers fils, Nous sommes heureux de répondre au désir qui vous a réunis aujourd'hui autour de Nous, et Nous vous accordons de tout cœur, à vous et à vos familles, aux nombreux chefs d'usine, dont vous êtes les délégués, et à tous les ouvriers qui font partie de vos pieuses associations, la bénédiction Apostolique.

24 FEBRUARII 1885.

Unoanimo, sub Pastorum vigilantia, bono plebis christianae elaborandum.

EPISTOLA

Ad Episcopum Salisburgensem

DE CATHOLICA STUDIORUM UNIVERSITATE CONSTITUENDA.

4 MARTII 1885.

Catholicae studiorum universitatis institutio valde utilis fore pronuntiatur.

ALLATAE sunt Nobis obsequiosae litterae dilecti filii Georgii Lienbacher Consiliarii aulici supremi tribunalis iustitiae in Austriaco Imperio, per quas Nobis nunciavit constitutum istic fuisse praestantium virorum coetum, cuius ipse praeses electus fuit, ad ea accuranda quae necessaria sint, ut libera studiorum universitas catholica Salisburgi condatur. Id factum esse scribebat ex decreto edito mense octobri superioris anni in provincialibus Comitiis Ducatus Salisburgensis, quod eo spectabat ut vetus Athenaeum instauraretur,quod laude tradendae sanae doctrinae maxime floruit, atque extinctum illustrem sui famam ac desiderium reliquit. Addebat porro idem dilectus filius, Te eiusdem coetus et negotii patrocinium suscepisse, atque operam dedisse, ut illis aliorum quoque sacrorum Antistitum studia et auxilia conciliares. Quare suo et collegarum nomine a Nobis petebat ut nobile probantes incoeptum Apostolica Benedictione augeremus. Id quidem aequum esse ducimus et supremi Apostolatus Nostri officiis consentaneum, cuius est summam habere rationem eorum quae parantur ad tuendam integritatem fidei, et provehenda veracis ac solidae scientiae incrementa. Ratione enim duce et experientia teste, novimus quantum utilitatis offerre queant Instituta huiusmodi, ut studiosa iuventus a pestiferis doctrinis, quae late inficiunt omnia, servetur immunis, et habeat unde puros hauriat scientiae latices, nullis errorum sordibus inquinatos. Ex quo fiet ut ex parte saltem damna reparentur parta ex effreni docendi licentia quae nihil habet in religione sanctum, seque liberius in dies explicans, nihil in ipso rei civilis ordine integrum, nihil incolume erit relictura. Eo iustius autem Instituta hoc genus desiderari,

et impensius fovenda esse censemus, quod inter veritatis lucem et errorum tenebras, inter sapientiam virtutis magistram, et mendacem scientiam vitiorum altricem, iam non aequo marte certatur, sed humanis suffulti praesidiis paratiores ut plurimum ii sunt qui deteriorem caussam tuentur. Itaque divinae benignitati acceptum referimus quod egregiorum hominum zelum excitaverit, et in provinciali conventu suffragantium voluntates coniunxerit, ut opus tam salutare et aptum temporibus fieret. Huic proinde commendationem Nostram deesse nolumus, optamus enim et fore confidimus, ut illud in ista civitate vestra sapientiae domicilium, tuta veritatis arx, et pietatis eorum, quorum consilio et suffragiis decretum fuit, perpetuum monumentum existat. Imo quum Athenaeum istud finitimarum quoque regionum fidelibus profuturum sit, certa quoque spe nitimur ut animarum Pastores et laici fideles, quibus cordi est recta sobolis institutio, pro suis cuiusque viribus fautores se praebeant consiliis vestris, et opportuna ad rem conficiendam auxilia suppeditent. Demum quoniam coetus operi parando praepositus, eiusque Praeses lectissimus pie professi sunt faustum fore sibi operis inchoandi auspicium si bene huic a Deo fuerimus adprecati, Nos intimo ex animo coelestem gratiam illis adiutricem imploramus, quae curas et labores eorum exitu secundo fortunet: omnibus praeterea qui salutari huic molimini sua munificentia foveant et hac de re bene mereri studeant, ampla adprecamur dona omnipotentis Dei, qui pia ipsorum studia in hoc opus collata digna mercede muneretur. Atque huius divinae benignitatis pignus esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, Venerabilis Frater, Episcopo auxiliari tuo, praedicto dilecto filio Georgio Lienbacher et coetui cui praeest, nec non reliquo clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Opus commendatur.

Datum Romae apud S. Petrum die 4 martii 1885, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE NOVA INIURIA SANCTAE SEDI ILLATA.

27 MARTII 1885.

EPISCOPORUM collegium, ut assolet, suppleturi, quod officii munus iucundum et laetabile per se est, cum ad utilitatem salutemque populi christiani pertineat, animum hodierna die gerimus graviter saucium affectumque angore novo ; cuius recentem caussam in conspectu vestro silere non possumus. Ea intelligimus, quae superioribus diebus Romae acta sunt publice magnoque nec fortuito sed meditato rerum apparatu, cum lapis auspicalis positus est monumento, quod qui rerum italicarum potiti sunt extruendum decrevere, cui viro, non estis nescii : quo animo, satis admonebat locus, idemque res loquebatur ipsa, nisi et vox accessisset, ethnicae superstitionis revocare memoriam non refugiens. Unde plus etiam quam debuerat apparuit, diuturni cum Romano Pontificatu certaminis, hunc, de quo loquimur, novum velut actum extitisse. Libuit scilicet impositas Apostolicae Sedi iniurias renovare publica eademque mansura commendatione facinoris quod ingens malorum series, et Romani Pontificis consequuta captivitas est : itemque consecrare possessionem vi captae Urbis, si sanctitatem alieni iuris extinguere tam esset in hominum potestate, quam opprimere. Quamobrem ejus rei gravitate permoti officiique Nostri memores, Vos quidem sicut alias testati sumus, ita et hodie testamur, velle Nos Apostolicae Sedis iura salva et incolumia omni ex parte in perpetuum esse. Sublatis interim ad Deum oculis, cuius et vices gerimus et caussam agimus, suppliciter ab ipso contendimus, ut respiciat populum suum et propitius tribuat, ut antequam faciat iudicia sua in terra, iustitiam discant habitatores orbis (1).

Novus actus diuturni certaminis cum Romano Pontificatu.

Sanctae Sedis iura asseruntur.

1. Is. XXVI, 9.

ORATIO

AD CHRISTI FIDELES

QUI E GERMANIA ROMAM ADVENERUNT

PETRI CATHEDRAM VENERATURI.

OPTATUM laetitiae fructum, quem Nobis affert, hodierna die, praesentia vestra, cumulat atque adauget declaratio voluntatis et caussae, quae vos ad hanc Apostolicam Sedem venerabundos coram adduxit. Itaque benevolentia paterna singulos complexi, probamus commune propositum vestrum, plurimaque spe in Deo posita, qui optimorum consiliorum auctor est et adiutor, futurum confidimus, ut ex hac urbe principe christiani nominis, quam cruore suo et Pontificali Sede beatus Petrus consecravit, maiora, ut cupitis, incitamenta sumatis ad omnem christianam laudem, praecipueque ad animi constantiam, quae vobis virtus est maxime hoc tempore necessaria.

3 MAII 1885.

Laetitia ob eorum praesentiam declaratur,

Nos quidem ad rem Germaniae catholicam attentum animum habemus, ac diu miramur tot excellentium virorum in tuenda religione avita claros et nobilitatos labores: itemque magnae multitudinis in colenda pietate studium; in fide Romani Pontificis firmitatem; in Episcoporum obsequio alacritatem; in variis caritatis artibus industriam cum liberalitate coniunctam. Neque silebimus optimum illud incolumitatis vinculum, quod est concordia animorum ac voluntatum. Eam sane cum alia multa, tum annui coetus vestri testantur, in quibus propositum vobis est ea communi studio provehere, quae ad incrementum religionis salutisque publicae aptissima videantur.

Germanorum fides et opera debitis laudibus ornantur.

Quamobrem, vixdum inito Pontificatu, cogitare studiose coepimus, quidnam agendum esset, quo nomini catholico libertas cum tranquillitate in Germania restitueretur. Initia componendarum rerum ultro fecimus: nec quidquam de illo studio pristino, temporis diuturnitate, remisimus. Summam in gerendo negotio aequitatem adhibuimus, lenitatem

Curae a Pontifice susceptae ut nomini catholico libertas cum tranquillitate in Germania restituatur.

vero tantam, quantam maxime per officium licuit. Voluntatem praestare eamdem parati sumus; atque utinam, Dei beneficio, is exitus aliquando contingat, qui ad stabiliendam firmiter concordiam valeat, votisque catholicorum expetitam diu tranquillitatem reducat: quas res non Ecclesiae solum, sed vel ipsi Germanorum Imperio iudicamus magnopere profuturas.

Opportuna monita traduntur:

Interea Nos in gravem huiusmodi curam cogitationemque intenti, volumus, dilecti filii, ut quotquot diligitis christianum nomen, alia in re, quae publice interest, animose Nobiscum elaboretis. Perseverantiam intelligimus, qua oppugnatoribus disciplinae civilis religionisque resistendum est, praecipue vero societatibus hominum non honestis, Ecclesiae auctoritate damnatis; quae quid moliantur, quorsum tendant, satis in comperto est. Ac nominatim oportet bene de rebus communibus mereri, ut consuevistis, collata viriliter cura et contentione omni ad impediendos socialismi cursus qui nititur ipsa societatis humanae fundamenta diruere. Tanti mali remedia nusquam expectanda quam a christiana religione certiora. Ex hoc igitur fonte christiani homines adiumenta petant, quorum ope praesentium magnitudinem periculorum, quatenus possunt, defendant. — Memores demum caritatis et beneficentiae, studete vitam proletariorum atque opificum facere meliorem: planeque optime collocatum sciatis quidquid operae, ingenii, studiique in tuendis illorum commodum posueritis, propterea quod sunt hi maxime digni solatio, et magis patet eorum vita perniciosis illecebris insidiisque peccantium. — Harum exercitatione virtutum ipsi mores vestri testabuntur, eo meliores in omni republica futuros cives, quo sanctius christianae fidei praeceptis paruerint. Nos interim a Deo petimus, ut vos ad omne munus officii confirmet; ac coelestium beneficiorum auspicem singularisque benevolentiae Nostrae testem vobis, dilecti filii, familiis vestris, cunctisque e Germania catholicis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

societatibus pravis et socialismo resistendum:

opera pietatis exercenda in gratiam operariorum.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS SANCTUS VINCENTIUS A PAULO OMNIUM SOCIETATUM CHARITATIS PATRONUS COELESTIS DECLARATUR.

12 MAII 1885.

Cum multa Iesus Christus humano generi praecepta tradidit, quorum ope possent homines ad vitam recta perduci, tum illud potissimum dare et commendare numquam destitit, ut quisque diligeret proximum suum sicut se ipsum. Ipse enim, qui caritas est, docuit caritatem esse quasi fundamentum, in quo lex tota consisteret, et notam quamdam, qua christianae sapientiae sectatores a ceteris distinguerentur. Quare non mirum est, si praeclara haec virtus aliis nata potius, quam sibi, ceterarumque parens atque altrix virtutum, eorum praesertim animis insederit, qui divini praeceptoris ingressi vestigiis, virtutum omnium perfectionem et absolutionem assequi studuerunt. Mirifice inter hos, exeunte saeculo XVI effulsit Vincentius a Paulo, magnum illud atque immortale christianae caritatis exemplar, qui huiusmodi virtutis laude quam maxime excelluit. Nullum enim propemodum fuit aerumnarum genus, cui mira caritas eius deesset, nullus labor quem ad proximorum commodum atque utilitatem non ultro susciperet. Neque vero, postquam Vincentius ex vita ad coelum demigravit, rerum salutarium, quas instituerat, fons exaruit, sed in multos quasi rivulos deductus fluit adhuc large copioseque in Ecclesia. Vir enim sanctissimus ad hanc virtutem non modo contendit ipse, sed ad imitationem sui plurimos evocavit, quorum alios ad communem religiosae vitae disciplinam congregavit, alios in pias sodalitates a se legibus sapientissimis constitutas recepit. Quot vero sint fructus, quos ab iis humana societas quotidie percipit, vel ex eo facile coniici potest, quod nondum altero a constitutione sua exacto saeculo, iam istiusmodi utriusque sexus societates per universas fere orbis terrarum partes se propagaverint et ubique admirationem omnium sibi merito

S. Vincentius, immortale charitatis exemplar,

plurimos ad sui imitationem evocavit.

Vincentii sodales praeconiis ornantur

comparaverint. Neminem certe fugit Vincentianos sodales praesto esse egentibus omnibus, assidere aegrotis in valetudinariis, versari in ergastulis, in scholis, inter ipsa bellatorum arma, duplicantes ubique subsidium, corporibus nempe atque animis. Quibus de rebus Romani Pontifices Decessores Nostri Vincentianas congregationes, et sodalitates ceterasque omnes caritatis societates, quae etsi idem non habent nomen, ab eodem tamen capite originem ducunt, in honore habuerunt et praecipua semper cura complexi sunt. Nos eorum inhaerentes vestigiis, ut huiusmodi societates omnes auctoris et constitutoris sui spiritum largius haurirent, postulantibus praesertim Venerabilibus Fratribus Galliarum Episcopis, S. Vincentium a Paulo praedictis societatibus in Gallicis vigentibus coelestem Patronum renuntiavimus et constituimus. Quod decretum proximo superiori anno ad Hiberniae dioeceses, ut illorum Antistitum pia desideria explerentur, extendimus. Nuper vero a plerisque S. R. E. Cardinalibus, et ex omnibus fere mundi regionibus Episcopis, et Regularium Ordinum supremis moderatoribus admotae Nobis sunt preces, ut supradictum decretum, ad omnes orbis christiani partes, ubi eiusdem naturae societates et opera existunt, extendere velimus. Nos audita etiam Congregationis S. R. E. Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum sententia, piis hisce precibus benigne annuendum censuimus. Quare quod universae christianae reipublicae benevertat, Dei gloriam augeat, et studium caritatis erga proximum in omnibus excitet, Apostolica auctoritate Nostra, his litteris Sanctum Vincentium a Paulo omnium societatum caritatis in toto catholico orbe existentium et ab eo quomodocumque promanantium, peculiarem apud Deum Patronum declaramus et constituimus, eique volumus honorificentias tribui coelestibus Patronis competentes. Decernentes has praesentes Litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum

Pontificium decretum.

transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. *12 MAII 1885.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII maii MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

EPISTOLA

Ad Iaponiae Imperatorem

DE IMPERTIENDA CHRISTIANIS LIBERTATE.

12 MAII 1885.

Propensae voluntatis officia pollicetur,

ETSI magno locorum intervallo disiuncti sumus, non tamen latet Nos singulare studium in augendis Iaponiae utilitatibus abs te, Imperator maxime, positum. Profecto quae aggressus es facere ad incrementa rerum civilium praecipueque ad excolendos mores populorum tuorum, sicut providentiam testantur consilii tui, sic digna sunt laude et commendatione hominum, quotquot expetunt prosperitatem gentium communicationemque bonorum quae ab humaniore cultu facile percipiuntur. Eo vel magis quod politiore urbanitate morum opportune praeparantur animi ad concipiendam sapientiam, amplectendumque veritatis lumen. His de caussis rogamus ut officia propensae in Te voluntatis Nostrae quemadmodum verissime pollicemur, ita perhumaniter Ipse accipere ne graveris.

gratum animum profitetur pro libertate christianis concessa,

Est et illa ratio, quam ob rem has tibi litteras mittendas censuimus, videlicet ut gratum animum Nostrum profiteamur. Quibus enim officiis Missionarios et christianos singulos ex amplissima ditione tua obstrinxeris, iisdem Nos Tibi obligatos intellige. Te vero, Imperator Maxime, benignum ac benevolum in utroque ipso eorum testimonio cognovimus. Qua quidem re nihil fieri a Te potest vel ad aequitatem laudabilius vel ad ipsam utilitatem publicam praestantius, propterea quod adiumenta ad incolumitatem imperii non exigua expectare a religione catholica potes.

petit ut maiorem in dies concedat.

Omnium enim imperiorum est fundamentum iustitia : iustitiae vero nulla pars est, quin christianis ponatur in officiis. — Ita fit, ut quicumque christianum nomen profitentur, non tam poenarum metu, quam religionis voce in primis admoneantur vereri maiestatem regiam, obtemperare legibus, neque aliud in re publica velle nisi quae tranquilla et hone-

sta sunt. Igitur vehementer petimus ut maiorem quam potes, libertatem christianis impertias, eorumque instituta patrocinio gratiaque tua, ut soles, tueri pergas. Vicissim Nostrum erit bonorum omnium auctorem Deum suppliciter obsecrare, ut utilia coepta tua optatos ad exitus perducat, Tibique et Iaponiae universae maiora in dies munera ac beneficia largiatur.

Datum Romae apud S. Petrum die XII maii anno MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE

Ad Cardinalem Vicarium Parocchi

DE STUDIIS LITTERARUM PROVEHENDIS.

20 MAII 1885.

Clericorum ordo scientiarum cognitione florere debet.

PLANE quidem intelligis, quod saepe Nos et non sine caussa diximus, summa esse contentione et assiduitate enitendum, ut Clericorum ordo quotidie magis doctrinarum cognitione floreat. Cuius necessitatem rei maiorem efficit natura temporum : propterea quod in tanto ingeniorum cursu tamque inflammato studio discendi, nequaquam posset Clerus in muneribus officiisque suis cum ea, qua par est, dignitate atque utilitate versari, si quae ingenii laudes tanto opere expetuntur a ceteris, eas ipse neglexerit. — Hac Nos de caussa ad disciplinam eruditionis, praesertim in alumnis sacri ordinis, animum adiunximus : et a scientia rerum graviorum exorsi, philosophiae theologiaeque studia ad veterum rationem, auctore Thoma Aquinate, revocanda curavimus : cuius quidem opportunitatem consilii is ipse, qui iam consecutus est, exitus declaravit. — Verum quoniam permagna doctrinae pars, et ad cognitionem iucunda et ad usum urbanitatemque longe fructuosa, humanioribus litteris continetur, idcirco nunc ad illarum incrementa nonnihil constituere decrevimus.

Litterarum studium necessarium ad cleri decus servandum,

Quod primo loco illuc pertinet, ut suum Clerus teneat decus : est enim litterarum laus multo nobilissima : quam qui adepti sint, magnum aliquod existimantur adepti ; qui careant, praecipua quadam apud homines commendatione carent. — Ex quo intelligitur, quale esset illud Iuliani imperatoris callidissimum et plenum sceleris consilium, qui ne liberalia studia exercerent christianis interdixerat. Futurum enim sentiebat, ut facile despicerentur expertes litterarum: nec diu florere christianum posse nomen, si ab humanitatis artibus alienum vulgo putaretur. Deinde vero quoniam ita sumus natura facti, ut ex iis rebus quae sensibus percipiunturad eas assurgamus quae sunt supra sensus,

nihil est fere ad iuvandam intelligentiam maius, quam scribendi virtus et urbanitas. Nativo quippe et eleganti genere dicendi mire invitantur homines ad audiendum, ad legendum : itaque fit ut animos et facilius pervadat et vehementius teneat verborum sententiarumque luminibus illustrata veritas. Quod habet quandam cum cultu Dei externo similitudinem : in quo scilicet magna illa inest utilitas, quod ex rerum corporearum splendore ad numen ipsum mens et cogitatio perducitur. Isti quidem eruditionis fructus nominatim sunt a Basilio et Augustino collaudati : sapientissimeque Paulus III Decessor Noster scriptores catholicos iubebat stili elegantiam assumere, ut haeretici refellerentur, qui doctrinae laudem cum litterarum prudentia coniunctam sibi solis arrogarent. *ad veritatem persuadendam.*

Quod autem litteras dicimus excoli a Clero diligenter oportere, non modo nostrates intelligimus, sed etiam graecas et latinas. Immo apud nos plus est priscorum Romanorum litteris tribuendum, tum quod est latinus sermo religionis catholicae Occidente toto comes et administer, tum etiam quia in hoc genere aut minus multi aut non nimis studiose ingenia exercent, ita ut laus illa latine cum dignitate et venustate scribendi passim consenuisse videatur. — Est etiam in scriptoribus graecis accurate elaborandum : ita enim excellunt et praestant in omni genere exemplaria graeca, nihil ut possit politius perfectiusque cogitari. Huc accedit quod penes Orientales graecae litterae vivunt et spirant in Ecclesiae monumentis usuque quotidiano : neque minimi illud faciendum, quod eruditi graecis litteris, hoc ipso quod graece sciunt,plus habent ad latinitatem Quiritium facultatis. *Excolendae cum vernaculis litterae latinae* *et graecae.*

Quarum rerum utilitate perspecta, Ecclesia catholica, quemadmodum cetera quae honesta sunt, quae pulcra, quae laudabilia, ita etiam humanarum litterarum studia tanti semper facere consuevit,quanti debuit,in eisque provehendis curarum suarum partem non mediocrem perpetuocollocavit. — Revera sancti Ecclesiae Patres, quantum sua cuique tempora siverunt, exculti litteris omnes : nec in eis desunt, qui tantum ingenio et arte valuerunt, ut veterum roma- *De litteris Ecclesia quavis aetate sollicita.*

norum graecorumque praestantissimis non multum cedere videantur. — Similiter hoc summum beneficium Ecclesiae debetur, quod libros veteres poetarum, oratorum, historicorum latinos graecosque magnam partem ab interitu vindicavit. Et, quod nemo unus ignorat, quibus temporibus bonae litterae vel per incultum et negligentiam iacerent, vel inter armorum strepitus Europa tota conticescerent, in communibus monachorum ac presbyterorum domiciliis unum nactae sunt ex tanta illa turba barbariaque perfugium. — Neque praetereundum, quod ex romanis Pontificibus, decessoribus Nostris, plures numerantur clari scientia harum ingenuarum artium, quas qui tenent eruditi vocantur. Quo nomine permansura profecto memoria est Damasi, Leonis Gregoriique magnorum, Zachariae, Silvestri II, Gregorii IX, Eugenii IV, Nicolai V, Leonis X. Et in tam longo Pontificum ordine vix reperiatur, cui non debeant litterae plurimum. Providentia enim munificientiaque illorum, cupidae litterarum iuventuti passim scholae et collegia constituta : bibliothecae alendis ingeniis paratae : iussi Episcopi ludos aperire in Dioecesibus litterarios : eruditi viri beneficiis ornati, maximisque propositis praemiis ad excellentiam incitati. Quae quidem tam vera sunt, tamque illustria, ut ipsi saepe Apostolicae Sedis vituperatores, praeclare romanos Pontifices de studiis optimis meritos, assentiantur.

In seminario Romano scholae litterarum instituuntur.

Quamobrem et explorata utilitate et exemplo decessorum Nostrorum adducti, curare diligenterque providere decrevimus, ut huius etiam generis studia apud Clericos vigeant et in spem gloriae veteris revirescant. Sapientia autem operaque tua, dilecte fili Noster, plurimum confisi, quod exposuimus, consilium in sacro Seminario Nostro Romano exordiemur : nimirum volumus, ut in eo certae destinataeque scholae adolescentibus aperiantur acrioris ingenii diligentiaeque : qui emenso, ut assolet, italicarum, latinarum, graecarumque curriculo litterarum, possint sub idoneis magistris limatius quiddam in illo triplici genere perfectiusque contingere. Quod ut ex sententia succedat, tibi mandamus ut viros idoneos deligas, quorum consilium

atque opera, Nobis auctoribus, ad id quod propositum est adhibeatur. *20 MAII 1885.*

Auspicem divinorum munerum, benevolentiaeque Nostrae testem tibi, dilecte fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Maii anno MDCCCLXXXV. Pontificatus Nostri octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Parisiensem

DE OMNIUM ERGA PONTIFICEM DEBITA OBEDIENTIA.

17 IUNII 1885.

EPISTOLA tua peramanter scripta, devotaeque Nobis voluntatis tuae nuncia et testis, leniit recentem quamdam eamque non minimam animi Nostri aegritudinem. — Facile intelligis, nihil Nobis fieri posse ad perferendum molestius, quam si minuatur inter catholicos concordiae studium, vel perturbetur pacata animorum tranquillitas et secura fiducia, quae propria est liberorum in paterna, qua reguntur, potestate libenter conquiescentium. Quorum incommodorum ipsa significatione non possumus quin valde commoveamur, et periculum praevertere maturemus. — Itaque emissae nuper litterae a quo minime debuissent, quod et tu factum nolles, pariterque excitatus ab iis clamor, variaeque earum excogitatae interpretationes non patiunter silere Nos de argumento, quod potest esse iniucundum, sed non idcirco minus est in Gallia atque alibi ad edisserendum opportunum.

Occasio epistolae scribendae.

Ex certis quibusdam indiciis haud difficulter colligitur, in catholicis hominibus, fortasse temporum vitio, non deesse, qui haud satis contenti subesse, quod est ipsorum proprium, se posse arbitrentur partem aliquam in gerenda christiana republica attingere, aut saltem existiment, de rebus, quas qui praesunt gesserint, licere sibi quaerere et pro arbitrio suo iudicare. — Praepostera sane ratio : quae si valeret, summum inde detrimentum caperet Ecclesia Dei, quam divinus auctor sic temperavit, ut, personarum discrimine constituto, omnino iusserit alteros docere, alteros discere oportere : gregem esse et pastores : atque in ipsis pastoribus unum esse omnium principem, ac pastorem maximum. Solis pastoribus data omnis docendi, iudicandi, regendi potestas : populo autem imperatum, ut eorum et praecepta sequatur, et iudicio pareat, seseque gubernari, corrigi, ad

Ecclesia Christi ita instituta est ut in ea soli Pastores ius habeant regendi,

fidelibus autem incumbat officium obediendi.

salutem duci patiatur. Ita prorsus necesse est, singulos e plebe christiana pastoribus suis animo et voluntate subesse ; hos autem una cum ipsis Principi ac Pastori maximo : atque in eiusmodi obsequio obedientiaque voluntaria ordo et vita Ecclesiae consistit, itemque conditio necessaria agendi recte et ad finem accommodate. Contra si auctoritatem sibi tribuant, qui iure habent nullam, si iidem magistri et iudices esse velint, si inferiores in administranda re christiana aliam rationem quam quae legitimae potestati probatur, probent et tueri nitantur, profecto ordo pervertitur, multorum iudicia perturbantur, a via deflectitur.

Obedientiae officium violant

Qua in re violatur officium non solum abiiciendo palam aperteque obedientiam Episcopis summoque Ecclesiae Principi debitam, sed etiam resistendo per obliquum perque ambages tanto periculosiores, quanto magis simulatione tectas.— In eodem genere peccant, qui potestati iuribusque favent Pontificis romani, Episcopos tamen cum eo coniunctos non verentur, eorumque vel auctoritatem minoris faciunt, quam par est, vel acta et consilia, praeoccupato Sedis Apostolicae iudicio, in deteriorem partem interpretantur. — Similiter animi est minus sincere in obsequio permanentis, alterum Pontificem cum altero committere. Ex diversis duabus agendi rationibus, qui praesentem despiciunt ut praeteritae assentiantur, ii parum se obnoxios potestati impertiunt, cuius imperio ipsos regi ius et officium est: iidemque aliquam habent cum iis similitudinem, qui, sua caussa damnata, ad futurum Concilium vellent, vel ad Pontificem, cui melius de caussa liqueat, provocare. — Quam ad rem hoc fixum persuasumque sit, in Ecclesiae gubernatione, salvis officiis maximis, quibus Pontifices omnes apostolicum munus adstringit, unicuique eorum integrum esse eam rationem sequi, quae, spectatis temporibus ceterisque rerum adiunctis, optima videatur. Idque ad solius Pontificis iudicium pertinet : propterea quod is ad eam rem non solum singulari quodam donatur consilii lumine, sed etiam perspecta habet totius christianae reipublicae tempora, quibus apostolicam providentiam suam convenienter respondere necesse est. Is curam gerit de communi Ecclesiae bono, cui

qui, dum iuribus Summi Pontificis favent, episcopos minus verentur,

qui alterum Pontificem cum altero committunt,

cum in omnibus sequenda sit directio Pontificis pro tempore Ecclesiam gubernantis.

singularum partium servit utilitas: ceteri vero, quotquot hoc ordine comprehenduntur, debent summi rectoris coepta adiuvare, et quo ille spectat, obedienter sequi. Sicut una est Ecclesia, et unus qui Ecclesiae praeest, eodem modo una est rectio, cui oportet subesse universos.

Ex oblivione huius doctrinae minuitur fiducia erga Pastores,

Eiusmodi doctrinae si semel animo effluxerint, continuo in catholicis non eadem manet erga ducem sibi divinitus datum verecundia, non idem obsequium, neque fiducia: relaxatur amoris atque obedientiae vinculum, quo christianos omnes cum Episcopis suis, eosdemque et Episcopos ipsos cum supremo omnium Pastore coniunctos esse necesse est: quod quidem vinculum incolumitatem et salutem publicam maxime continet. — Pari modo late fit aditus ad catholicorum dissidia, intereunte concordia, quae habenda est velut nota sectatorum IESU-CHRISTI, quaeque omni quidem tempore, sed nunc potissimum, tòt coeuntibus in foedera inimicis, suprema omnium lex esse deberet, cui quamlibet privatorum rationem utilitatemque omnino cedere oporteret.

laeditur concordia inter fideles.

Gravissima obligatio quae hac in parte Ephemeridum scriptores tenet.

Quod officium si generatim ad omnes, multo magis ad ephemeridum spectat auctores: qui nisi hoc animo affecti sint ad obtemperandum prompto, et ad disciplinam docili, in catholicis singulis tantopere necessario, facile illuc evasuri sunt, ut mala, de quibus conquerimur, ipsimet spargant atque adaugeant. In omnibus rebus, quae religionem actionemque Ecclesiae in societate attingant, illorum est, non secus ac ceterorum christianorum, mente ac voluntate Episcopis suis romanoque Pontifici prorsus subesse; horum imperata facere et nuntiare: incoeptis toto pectore adhaerescere, decretis parere, et ut ceteri pareant curare. Si qui secus faceret eorum adiuturus consilia et voluntatem, quorum propositum et studia his litteris improbavimus, laberetur in munere nobili, et hac se ratione nequicquam speraret Ecclesiae servire, perinde ac qui veritatem catholicam aut diminutam dimidiatamve mallet, aut timidius adamaret.

Archiepiscopi laudes.

De his rebus ut tecum ageremus, dilecte fili Noster, praeter spem opportunitatis in Gallia, impulit Nos cognitio animi tui, ratioque agendi, quam vel difficillimis temporibus

secutus es. Pro constantia et fortitudine tua religionis rationes et sacra Ecclesiae iura nuper etiam instituisti viriliter tueri, orationisque lumine et vi publice defendere. Sed pacatam tranquillitatem iudicii, dignam nobilitate caussae pro qua propugnas, cum fortitudine coniunxisti : semperque visus es animum gerere omni perturbatione vacuum, eumdemque Apostolicae Sedi in primis obsequentem, et personae Nostrae maxime studiosum. Perlibenter his ipsis litteris probationem praecipuamque benevolentiam Nostram testamur tibi : de quo id tantum dolenter ferimus, non talem esse valetudinem tuam, qualem Nos maxime vellemus. Magno studio et assiduitate precum a Deo petimus, ut eam tibi restituat, diuque tueatur restitutam. — Auspicem vero coelestium beneficiorum, quorum tibi imploramus permagnam copiam, tibi ipsi, dilecte fili Noster, cunctoque Clero et populo tuo Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

17 IUNII 1885.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII iunii MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE REI CATHOLICAE CONDITIONIBUS.

27 IULII 1885.

Ex quo Nos in hac ipsa dignitate loci postremo verba fecimus, rem conquesti, unde iustum dolorem paulo ante hauseramus, non defuere caussae, quae veterem animi curam molestiamque renovarent. — In quibus recens est, ut nostis, illa, publicae erga Deum pietati, quod saepe in civitatibus licet superstitione et errore imbutis, idem in urbe christiani nominis principe non licere. Honores intelligimus, Sacramento augusto certis temporibus publice haberi solitos cum ad aegrotantes circumfertur, decreto sublatos. Idque multo est gravius, quia cum ex altera parte religioni minuitur legitima libertas, ex altera impietati conceditur impunita licentia. — Nisi exempla ante oculos extarent propemodum quotidiana, satis loqueretur, quod paucis ante mensibus vidimus ; cum scilicet religionis inimicissimis data potestas est ut Romam, quotquot vellent, libere convenirent, catholicum nomen tamquam in arce sua, collatis consiliis, hostiliter petituri.

Romae cultus catholici libertas graviter laesa.

Sollicitudo de Gallia,

Haec quidem domi : neque vero laeta admodum pleraque ex iis quae aguntur foris. — De Gallia sollicitudinem capimus non mediocrem propter impedimenta permulta et gravia quae rerum publicarum cursus affert Ecclesiae. — Item de Germania : de qua sane nihil tam valde cupimus aut laboramus, quam ut concordia rei civilis reique catholicae in spem diuturnitatis restituatur : sed magno enitendum est opere in difficultatibus eluctandis.

de Germania.

Concorditer dimicandum.

His de caussis, si alias unquam, certe hoc tempore necesse est, fortiter et, quod permagni interest, concorditer atque ordine, pro iustitia et veritate dimicare.

Pontifici in perfunctione muneris

Nos quidem, quae sit officiorum Nostrorum vis et magnitudo, intelligimus : propterea que, spe plurima in Deo collocata, perseverabimus summam curarum cogitationumque Nostrarum in perfunctione muneris apostolici defixam habere ; pariterque singula Ecclesiae et Apostolicae Sedis iura,

sicut hactenus, ita in posterum maxima, qua possumus, et vigilantia defendere et contentione vindicare. — His autem vos in officiis, Venerabiles Fratres, quantum Nobis profuturi sitis studio, consilio, sapientiaque vestra, diu iam experiendo cognovimus. Neque sine caussa confidimus operae quoque et adiumento praestantium virorum, quos a virtute, a prudentia, a doctrina, ab amore in hanc Sedem Apostolicam commendatos in amplissimum Collegium vestrum hodierna die cooptare decrevimus. Sunt autem :

profutura Cardinalium studia, consilia, sapientia.

Novi cardinales creantur.

PAULUS MELCHERS, Archiepiscopus Coloniensis :

ALPHONSUS CAPECELATRO, Archiepiscopus Capuanus :

FRANCISCUS BATTAGLINI, Archiepiscopus Bononiensis :

PATRITIUS FRANCISCUS MORAN, Archiepiscopus Sidneyensis :

PLACIDUS MARIA SCHIAFFINO, e Congregatione Benedictina Olivetana, Episcopus tit. Nyssenus, S. Congregationis Episcoporum et Regularium Secretarius :

CAROLUS CRISTOFORI, Camerae Apostolicae Auditor.

Quid vobis videtur ?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales.

PAULUM MELCHERS

ALPHONSUM CAPECELATRO

FRANCISCUM BATTAGLINI

PATRITIUM FRANCISCUM MORAN

PLACIDUM MARIAM SCHIAFFINO

et Diaconum Cardinalem

CAROLUM CRISTOFORI

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos universos catholici Orbis

DE CIVITATUM CONSTITUTIONE CHRISTIANA.

I NOVEMBRIS 1885.

IMMORTALE Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in coelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate rerum gestarum gloria excelluerunt. — Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam aiunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo iure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus iustas exigeret. Eius atrocitas calumniae non sine caussa ingenium armavit stilumque acuit Augustini: qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum republica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur. — Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia

Ecclesia mater est civilis humanitatis; nihilominus fere a suo ortu impetita quasi esset reipublicae felicitati inimica; nostro autem tempore permultis placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere quam ex doctrinis Ecclesiae.

catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *ius*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. — Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. — Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

Opportunitas conferendi hoc novum ius cum iure christiano.

Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rempublicam. — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionen congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura propatereaque a Deo ipso oriatur auctore. — Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo* [1]. — Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem.

A Deo naturae auctore est societas civilis,

et proinde auctoritas socialis seu potestas publica;

1. Rom. XIII, 1.

a Deo exemplari normam accipit principum dominatio, ut sit iusta et paterna

Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (1). — Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (2). — Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (3). Quapropter obedientiam abiicere, et, per vim

propter Deum subditorum obedientia digna et sancta.

1. Sap. VI, 7. — 2. Rom. XIII, 1. — 3. Ibid. v. 2.

I NOVEMBRIS 1885.

multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

Societas, qua persona moralis, Deum colere tenetur,

Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungunt Deo, religione publica satisfacere — Natura et ratio, quae iubet vel singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eundem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. — Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem communi utilitati natam in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque

ac praeterea cives adiuvare ut Deum colendo finem ultimum assequantur.

incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.

Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit; argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam IESUS CHRISTUS et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

A Christo instituta est societas ecclesiastica

Nam unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2). Igitur sicut IESUS CHRISTUS in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (3), eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam : ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae* (4). Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent : unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit. *Tibi dabo claves regni coelorum* (5) ; — *pasce agnos...... pasce oves* (6) ; *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (7). — Hæc societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis : atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili : et, quod plurimum interest,

ad procurandam salutem animorum sempiternam :

hæc societas est universalis,

inaequalis,

supernaturalis ac spiritualis,

1. Ioan. XX, 21. — 2. Matth. XXVIII, 20. — 3. Ioan. X, 10. — 4. Marc. XVI, 15. — 5. Matth. XVI, 19. — 6. Ioan. XXI, 16-17. — 7. Luc. XXII, 32.

1 NOVEMBRIS 1885.

societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera IESUS CHRISTUS Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (1). Et alibi : *Si non audierit eos, dic Ecclesiae* (2). Atque iterum : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (3). Rursus : *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem* (4). Itaque dux hominibus esse ad coelestia, non civitas sed Ecclesia debet : eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat : ut doceat omnes gentes : ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat ; brevi, ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. — Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere nunquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant : *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (5). Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt : romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt. Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione

perfecta, independens ac suprema ;

in eâ est potestas legislativa, iudiciaria, coactiva,

absoluta et sui iuris.

1. Matth. XXVIII, 18-19-20. — 2. Matth. XVIII, 17. — 3. II Cor. X, 6. — 4. Ibid. XIII, 10. — 5. Act. V, 29.

officiorum, agere cum Ecclesia tanquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

Itaque duplex a Deo constituta potestas, ecclesiastica et civilis ;

Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima : habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxima definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt* (1). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent. — Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio : quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum ; cum alteri proxime maximeque

utraque certis continetur terminis ;

inter utramque est ordinata colligatio ;

---

1. Rom. XIII, 1.

propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae : cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum IESUS CHRISTUS iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

I NOVEMBRIS 1885.

quae sacra sunt ecclesiasticae potestati subiiciuntur ; quae profana, civili.

Concordata.

Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum : tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi : ex eaque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita : incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa : officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adiutores : pariterque

Huius christianae conformationis excellentia

et beneficia inde derivata

intelligunt, sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos. — Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate coniugii: iura officiaque inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur: debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur. — In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate iudicioque fallaci multitudinis, sed veritate iustitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana maiorem, continetur que ne declinet a iustitia, neu modum in imperando transiliat: obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad iustitiam pertinere illa intelliguntur, vereri maiestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis. — Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas: non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se praeceptis, civis idem et christianus: denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur: ita ut illud appareat verissime dictum, « pendet a religione, qua Deus colitur, rei publicae « status: multaque inter hunc et illam cognatio et familia- « ritas intercedit [1]. » — Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis: « Tu « pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout « cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, « exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam « libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris

tum in familia,

tum in ordine politico et civili;

tum in ordine sociali.

Haec beneficia praeclaris verbis a S. Augustino extolluntur:

1. Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cfr. Labbeum Collect. Conc. T. III.

1 NOVEMBRIS 1885

« societatem, casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros « coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed « sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera « quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione « praeponis... Tu cives civibus, tu gentes gentibus, et prorsus « homines primorum parentum recordatione, non societate « tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces « reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. « Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, « quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus « cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus « supplicium, sedulo doces : ostendens quemadmodum et « non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur « iniuria ([1]). » — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos : « Qui doctrinam Christi « adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, « quales doctrina Christi esse milites iussit, dent tales pro- « vinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales « filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, « tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, « quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam « dicere adversam esse reipublicae, immo vero non dubitent « eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse rei- « publicae ([2]). »

eadem testatur historia.

Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates : quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat : cum religio per IESUM CHRISTUM instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret : cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato coniungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte cor-

1. De moribus Eccl. cath., cap XXX, n. 63. — 2. Epist. CXXXVIII (al. 5.) ad Marcellinum, cap. II, n. 15.

rumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit : quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit : quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit : quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est : quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia, magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset : maioraque expectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, « cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, « bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum « vero inter se discordant, non tantum parvae res non « crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur [1]. »

Iuris novi origo a perturbatione saeculi XVI.

Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novi iuris*, quod et fuit antea ignotum et a iure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat. — Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares : unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius : cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse : imperandi aliis ius esse in nemine. His informata

Praecipuum caput eius est absoluta hominum aequalitas :

1. Ep. CCXXXVIII.

I NOVEMBRIS 1885.

ex quo sequuntur voluntatis popularis principatus,

disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat : deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam ius,quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cuius non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo : cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet;ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem ; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur: exlex uniuscuisque conscientiae iudicium ; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

societatis erga religionem indifferentia,

conscientiae libertas.

Qui his principiis informantur,

denegant Ecclesiae dignitatem societatis perfectae,

His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. — Nam ubi cum eiusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur : legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio : Ecclesia, quae iussu mandatoque IESU CHRISTI docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem iubetur nihil attingere. — De ipsis rebus, quae sunt mixti iuris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad iurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate coniugii : movent possessiones

clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis. — Si qua vero in republica suum Ecclesia ius, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium. — Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

Ecclesiae rationes a rationibus reipublicae dissociari satagant,

Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice agunter, eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos institutorum christianorum, Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et iura cetera comminuere.

Ecclesiam ipsam de medio pellere vel subiicere conantur.

Eiusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. — Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse natura dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis con-

Ostenditur quantum rectae rationi repugnent:

imperium populare,

stantiam. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse iure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur : ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat. *I NOVEMBRIS 1885.*

De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse. *religionum indifferentia,*

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur : sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari : boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabunter. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum : gratia tutelave legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via in coelum, quo tendimus universi : ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere. — Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene mo- *scriptorum libertas,* *exclusio ecclesiae ab actione vitae, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica ;*

rata civitas esse, sublata religione, non potest: iamque plus fortasse, quam oportet, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum Ecclesia Christi: ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, iubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu. — Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam, magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt proponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae, quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

Reipublicae in ipsam dominatio.

Huiusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos* die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna sententiarum gravitate ea perculit, quae iam praedicabantur, in culto divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse quod malint, de religione iudicare: solam cuique suam esse conscientiam iudicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis sic idem Pontifex: « Neque laetiora « et religioni et principatui ominari possemus ex eorum « votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii « cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat « quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amato« ribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et « civili fausta extitit et salutaris ». — Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque

Horum errorum proscriptio a Summis Pontificibus:

I NOVEMBRIS 1885.

postea in unum cogi iussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines quod sine offensione sequerentur (1).

documentorum pontificiorum sensus genuinus exponitur;

Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. — Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et iure perfectam: neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a IESU CHRISTO collata sunt. — In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt.

eorumdem praepostera interpretatio reiicitur; scilicet iis minime proscribuntur:

Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte diiudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo

1. Earum nonnullas indicare sufficiat.

Prop. XIX — Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Prop. XXXIX — Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Prop. LV — Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Prop. LXXIX. — ..... falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

diversae Reipublicae formae,

statu tueri civitatem. — Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitaten, sed etiam ad officium pertinere civium. — Insuper neque caussa iusta nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam. — Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. — Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (1).

populi in republica gerenda partes,

cultuum falsorum toterantia,

Simili ratione non potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis* (2), a Petro Apostolo *velamen malitiae* (3) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui*, enim, *facit peccatum*, *servus est peccati* (4). Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat: remque publicam ab alieno arbitrio defendit. — Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit. — Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae; quae summam rempublicam vetant in municipalem, vel

rationabilis libertas civilis et politica,

1. Tract. XXVI in Ioan., n. 2. — 2. Ep. CV, ad Donatistas, c. II, n. 9, — 3. I Petr. II, 16. — 4. Ioan, VIII, 34.

domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuran. — Ergo, quod inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet: eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaeque inimica, magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque coelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

I NOVEMBRIS 1885.

scientiarum cultura.

Sed haec, tametsi plena rationis et consilii, minus pro-

Pontificis intentum in hac iterata assertione veritatis catholicae.

bantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere, hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur : non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa putemus, sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus : idque incolumi populorum germana libertate ; in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est : *veritas liberabit vos* (1).

Catholicorum officia,

Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cuiusque sint tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem, quaecumque Pontifices romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum ne quem fallat honesta illarum species : cogitandumque quibus ortae initiis, et quibus passim sustententur atque alantur studiis. Satis iam est experiendo cognitum, quarum illae rerum effectrices sint in civitate : eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes iure poeniteat. Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas, quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eaque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto eiusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

in opinionibus,

in factis vitae privatae

Potest autem aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. — Privatim quidem primum officium

1. Ioan VIII, 32.

est, praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem : eiusque et servare obedienter leges, et honori servire, et iura salva velle : conarique, ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur. —

I NOVEMBRIS 1885.

et publicae.

Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam : in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit : quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut maximis iustissimisque de caussis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae : eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis : propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati ; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi caussam esse iustam catholicis : non enim adeunt, neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum ; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere. — Haud aliter actum in

primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia ethnicorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis : christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semperque sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque ; prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, imcolumi virtute, nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. « Hesterni sumus,et vestra omnia implevi- « mus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra « ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum » (1) : ita ut fides christiana, cum Evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et iam satis firma in magna civitatum parte apparuerit.

Primorum christianorum exempla.

Iamvero his temporibus consentaneum est, haec maiorum exempla renovari. — Catholicos, quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle : quae res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere : institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis iustitiaeque patrocinium uti : elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat : dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et forman omnis respublica traducatur. — Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singuli putent, atque Episcopis obtemperent, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (2). — Defensio

Commendatur Catholicis ut Ecclesiae addicti maneant, eiusque menti apprime se conforment,

unanimes in profitendis doctrinis quae ab ea traduntur,

1. Tertull. Apol. n. 37. — 2. Act. XX, 28.

I NOVEMBRIS 1885.

quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus iniuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam ad rem, ne animorum coniunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accendentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum, posthabito Deo. — Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae a virtute christiana deficere. Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam, iustitia non patitur: multoque est maior iniuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere: si quid temere, si quid iniuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compen-

reiectis iis quae ad naturalismum vel rationalismum accedunt,

et quae vitam publicam a privata separant;

sepositis omnibus intestinis controversiis, praesertim apud Ephemerides.

sandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum. — Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram; ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius, malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magnopere periclitatur salus.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus quæ universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet coeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cuius est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. Divinorum autem beneficiorum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 novembris MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Episcopos Angliae

DE SCHOLIS CHRISTIANIS.

SPECTATA fides et singularis in hanc Sedem Apostolicam pietas vestra mirabiliter elucet in communibus litteris, quas a Vobis proxime accepimus. Quae quidem multo gratiores ob hanc caussam nobis accidunt, quod praeclare confirmant, id quod probe cognoveramus, magnam partem vigiliarum cogitationumque vestrarum in re versari de qua nullae propemodum curae possunt esse tantae, quin maiores pro ea suscipiendas putemus. Christianam intelligimus adolescentulorum vestrorum institutionem, de qua nuper, collatis consiliis, nonnulla decrevistis utiliter, et ad Nos referendum censuistis.

27 NOVEMBRIS 1885.

Laudes ob curam in christiana adolescentium institutione tribuuntur Episcopis,

Ea vero Nobis est periucunda cogitatio in opere tanti momenti Vos, Venerabiles Fratres, non elaborare solos. Neque enim sumus nescii quantum in hac parte universo Presbyterorum vestrorum ordini debeatur; qui scholas pueris aperiendas caritate summa et invicto a difficultatibus animo curaverunt : iidemque, docendi munere suscepto, in fingenda ad Christianos mores et primordia litterarum iuventute ponunt operam suam industria et assiduitate mirabili. Quam ob rem, quantum vox Nostra potest vel incitamenti addere, vel debitae laudis tribuere, pergant Clerici vestri bene de pueritia mereri, ac fruantur commendatione benevolentiaque Nostra singulari, longe maiora a Domino Deo, cuius caussa desudant, expectantes.

Clero,

Neque minore commendatione dignam iudicamus Catholicorum in eodem genere beneficentiam. Siquidem novimus solere ipsos, quidquid in scholarum tuitionem opus est,alacri voluntate suppeditare : neque id eos facere solum, quibus maior est census, sed tenues etiam atque inopes : quos quidem pulchrum et permagnum est, saepe in ipsa egestate nancisci, quod in puerilem institutionem libentes conferant.

fidelibus.

Profecto his temporibus ac moribus, cum ingenuae puero-

Scholae catholicorum liberae, apud varias gentes erigi solitae, maxime probantur,

rum aetatulae tot pericula undique impendeant tamque varia, vix quidquam cogitari potest opportunius, quam ut institutio litteraria cum germana fidei morumque doctrina coniungatur. Idcirco scholas eiusmodi, quas appellant *liberas*, in Gallia, in Belgio, in America, in coloniis Imperii Britannici privatorum opera et liberalitate constitutas probari Nobis vehementer non semel diximus, easque, quantum fieri potest, augeri atque alumnorum frequentia florere cupimus. Nosque ipsi, spectata rerum urbanarum conditione, curare summo studio ac magnis sumptibus non desistimus, ut harum scholarum copia romanis pueris abunde suppetat. In eis enim et per eas conservatur illa, quam a maioribus nostris accepimus, maxima atque optima hereditas, nimirum fidei catholicae incolumitas, praetereaque parentum libertati consulitur; et, quod est in tanta praesertim sententiarum actionumque licentia maxime necessarium, bona civium soboles reipublicae educitur: nemo enim melior quam qui fidem Christianam opinione et moribus a pueritia complexus est. Initia et quasi semina totius humanitatis, quam IESUS CHRISTUS hominum generi divinitus peperit, in Christiana adolescentulorum educatione consistunt: propterea quod non fere aliae futurae sunt civitates, quam quos prima institutio pueros conformarit. Delet igitur omnem sapientiam veterem, ipsisque civitatum fundamentis labem affert, perniciosus error eorum, qui puerilem aetatem malunt sine ulla institutione religiosa adolescere. Ex quo intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta animi provisione cavere patresfamilias oporteat, ne liberos suos iis committant ludis litterariis, in quibus praecepta religionis non queant accipere.

Spes optima de Britannia concepta.

Ad Britanniam vestram quod attinet, id Nobis est cognitum, non modo Vos, sed generatim plurimos e gente vestra, de erudiendis ad religionem pueris non mediocriter esse sollicitos. Quamvis enim non omni ex parte Nobiscum consentiant, intelligunt tamen quanti vel privatim vel publice intersit, non interire patrimonium sapientiae christianae, quod a Gregorio Magno, decessore Nostro, per Beatum Augustinum accepere proavi vestri, quodque vehementes,

quae postea consecutae sunt, tempestates non omnino dissiparunt. Scimus, esse hodieque complures excellenti animorum habitu, qui fidem avitam retinere diligenter student, neque raros aut exiguos edunt caritatis fructus. De qua re quoties cogitamus, toties commovemur : prosequimur enim caritate paterna istam, quae non immerito appellata est altrix sanctorum Insula : atque in eo, quem diximus, animorum habitu, videmus spem maximam et quoddam quasi pignus esse positum salutis prosperitatisque Britannorum. Quapropter perseverate, Venerabiles Fratres, curam praecipuam de adolescentia gerere : urgete in omnes partes episcopales opus vestrum, et quaecumque intelligitis esse bona semina cum alacritate et fiducia colitote : dives autem in misericordia Deus incrementum dabit. *27 NOVEMBRIS 1885.*

Coelestium munerum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, Vobis et clero populoque unicuique Vestrum commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII novembris MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum

DE OPERUM S. BONAVENTURAE

NOVA EDITIONE.

13 DECEMBRIS 1885.

QUOD universa Seraphici Doctoris opera de integro edenda decreveras, non mediocrem animi laetitiam percepimus; nunc vero eidem exsequendo consilio manum esse feliciter admotam magna cum voluptate intelligimus. Qui enim vix fere Pontificatu inito, nil ad oppugnandos nostrorum temporum errores fore aptius, nil ad confirmandam veritatem efficacius duximus, quam ut excellens summi scholasticorum Magistri sapientia longe lateque fluat, atque ad id praecipuam operum illius editionem numeris omnibus absolutam publicari iussimus, haud satis laudare propositum tuum poteramus, quo vulgatis Sancti Bonaventurae scriptis catholica iuventus ad scholasticas disciplinas etiam studiosius colendas inflammaretur. — Quanta inter s. Thomam ac Seraphicum Doctorem necessitudo, quanta sanctitatis ac doctrinae similitudo intercesserit, omnibus in comperto est. Ac s. m. Sixtus V. Decessor Noster verissime affirmavit eos esse « duas olivas et duo « candelabra in domo Dei lucentia, qui et charitatis pingue- « dine et scientiae suae luce totam Ecclesiam Dei » collustrarent, atque eos « singulari Dei providentia eodem tempore « tamquam duas stellas exorientes ex duabus clarissimis re- « gularium Ordinum familiis » prodiisse « quae ad catholicam « religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes « labores ac pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae « semper existerent. » — Itaque oblata Nobis a te eorumdem operum volumina veluti totius editionis primitias libentissime Nos accepisse testatum volumus, magnique apud nos haberi labores, quos vel ab anno MDCCCLXX religiosi tui Ordinis viri, in Collegium Sancti Bonaventurae coacti, pertulerunt, ut tanti ponderis opus, auctoritate tua illis commissum, accurate perficerent. Nec plane Fidelis a Fanna

Ministri Generalis decretum de operibus S. Bonaventurae denuo edendis, probatur;

sodalis tui Ordinis, hominis scientia ac pietate spectati laus praetermittenda est: qui, conquisitis undique per totam Europam codicibus et ad criticae artis regulas diligentissime exactis, longo decem annorum spatio certissima editioni curandae monumenta comparavit : quo e vivis sublato, consodalem Ignatium Zeiler eidem suffectum pari studio iisdemque consiliis in re eiusmodi gerenda modo versari agnovimus. — Nec vero tantum prudens in rerum singularum delectu iudicium, sed et accuratae textus emendationes atque optima literarum forma in primis commendanda est. Maxime autem placuit propositum opportunas animadversiones seu scholia singulis libris adiiciendi, ut ea doctrinarum harmonia manifeste appareat, qua praecellentes illas duorum Doctorum mentes instructas fuisse ante diximus. Ex quo exploratum etiam est clarissimos hosce scholasticarum disciplinarum adsertores peracri ingenio, assiduo studio, magnis laboribus atque vigiliis pretiosum doctrinae thesaurum a sapientibus superiorum saeculorum, potissimum vero a SS. Ecclesiae Patribus congregatum, multisque modis cumulate auctum, posteris tradidisse. — Quapropter nullo modo dubitandum, quin catholici praesertim iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes, qui ad philosophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, perlegendis S. Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi, atque ex amborum scriptis, quasi ex praecipuis armamentariis, gladios ac tela sumant quibus, in teterrimo bello adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto, hostes superare strenue queant. — Haec itaque, quae scripsimus, et tibi, dilecte fili, et sodalibus tui Ordinis Collegio S. Bonaventurae addictis solatio atque incitamento sint ut incoeptum opus alacriter absolvere pergant. Praecipuae vero dilectionis Nostrae testem ac coelestium munerum auspicem, Apostolicam benedictionem tibi atque ipsis peramanter in Domino impertimus.

Fideli a Fanna et Ignatio Zeiler editoribus, ob zelum et sollertiam, meritae laudes tribuantur;

praestiti ab ipsis operis excellentia et utilitas.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 13 decembris 1885, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

QUIBUS EXTRAORDINARIUN IUBILAEUM INDICITUR.

22 DECEMBRIS 1885.

QUOD auctoritate Apostolica semel iam atque iterum decrevimus, ut annus sacer toto orbe christiano extra ordinem ageretur, oblatis bono publico coelestium munerum thesauris, quorum est in Nostra potestate dispensatio, idem placet in annum proximum, Deo favente, decernere. — Cuius utilitas rei fugere vos, Venerabiles Fratres, nequaquam potest gnaros temporum ac morum : sed quaedam singularis ratio facit, ut in hoc consilio Nostro maior, quam fortasse alias, inesse opportunitas videatur. — Nimirum cum de civitatibus superiore epistola Encyclica docuerimus, quanti intersit, eas ad veritatem formamque christianam proprius accedere, intelligi iam licet quam sit huic ipsi proposito Nostro consentaneum dare operam, quibuscumque rebus possumus, ut vel excitentur homines ad christianas virtutes, vel revocentur. Talis est enim civitas, qualis populorum fingitur moribus: et quemadmodum aut navigii aut aedium bonitas ex singularum pendet bonitate aptaque suis locis collocatione partium, eodem fere modo rerum cursus publicarum rectus et sine offensione esse non potest, nisi rectam vitae cives consequantur viam. Ipsa disciplina civilis, et ea omnia quibus vitae publicae constat actio, nonnisi auctoribus hominibus nascuntur, intereunt : homines autem suarum solent opinionum morumque expressam imaginem iis rebus affingere. Quo igitur eis praeceptis Nostris et imbuantur penitus animi, et, quod caput est, quotidiana vita singulorum regatur, enitendum est ut singuli inducant animum christiane sapere, christiane agere non minus publice quam privatim.

Post encyclicam epistolam de civitatum constitutione christiana, *opportune ipsi Christi fideles ad virtutes revocantur.*

Atque in ea re tanto maior est adhibenda contentio, quanto plura impendent undique pericula. Non enim exiguam partem magnae illae patrum nostrorum virtutes cessere : cupiditates, quae per se vim habent maximam, maiorem licentia quaesiverunt : opinionum insania, nullis

aut parum aptis compressa frenis, manat quotidie longius: ex iis ipsis, qui recte sentiant, plures praepostero quodam pudore deterriti non audent id quod sentiunt libere profiteri, multoque minus reipsa perficere: deterrimorum vis exemplorum in mores populares passim influit: societates hominum non honestae, quae a Nobismetipsis alias designatae sunt, flagitiosarum artium scientissimae, populo imponere, et quotquot possunt, a Deo, a sanctitate officiorum, a fide christiana abstrahere atque abalienare contendunt.

Tot igitur prementibus malis, quae vel ipsa diuturnitas maiora facit, nullus est Nobis praetermittendus locus, qui spem sublevationis aliquam afferat. Hoc consilio et hac spe sacrum Iubilaeum indicturi sumus, monendis cohortandisque quotquot sua est cordi salus, ut colligant paullisper sese, et demersas in terram cogitationes ad meliora traducant. Quod non privatis solum, sed toti futurum est reipublicae salutare, propterea quod quantum singuli profecerint in animi perfectione sui, tantumdem honestatis ac virtutis ad vitam moresque publicos accedet.

Necessaria Iubilaei praeparatio,

Sed optatum rei exitum videtis, Venerabiles Fratres, in opera et diligentia vestra magnam partem esse positum, cum apte studioseque populum praeparare necesse sit ad fructus, qui propositi sunt, rite percipiendos. — Erit igitur caritatis sapientiaeque vestrae lectis sacerdotibus id negotium dare, ut piis concionibus ad vulgi captum accommodatis multitudinem erudiant, maximeque ad poenitentiam cohortentur, quae est, auctore Augustino, *bonorum et humilium fidelium poena quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: dimitte nobis debita nostra* (1). Poenitentiam, quaeque pars eius est, voluntariam corporis castigationem non sine caussa primo commemoramus loco. Nostis enim morem saeculi: libet plerisque delicate vivere, viriliter animoque magno nihil agere. Qui cum in alias incidunt miserias multas, tum fingunt saepe caussas, ne salutaribus Ecclesiae legibus obtemperent, onus rati sibi gravius, quam tolerari possit, impositum, quod vel abstinere certo ciborum genere, vel

inculcata poenitentia,

1. Epist. 108.

ieiunium servare paucis anni diebus iubeantur. Hac enervati consuetudine, mirum non est si sensim totos se cupiditatibus dedant maiora poscentibus. Itaque lapsos aut proclives ad mollitiam animos consentaneum est ad temperantiam revocare : propterea que, qui ad populum dicturi sunt, diligenter et enucleate doceant, quod non modo Evangelica lege, sed etiam naturali ratione praecipitur, imperare sibimetipsi et domitas habere cupiditates unumquemque oportere : nec expiari, nisi poenitendo, posse delicta. — Et huic, de qua loquimur, virtuti, ut diuturna permaneat, non inepte consultum fuerit, si rei stabiliter institutae quasi in fidem tutelamque tradatur. Quo id pertineat, facile, Venerabiles Fratres, intelligitis : illuc scilicet, ut sodalium Franciscalium ordinem Tertium, quem *sæcularem* nominant, in Dioecesi quisque vestra tueri et amplificare perseveretis. Profecto ad conservandum alendumque poenitentiae in christiana multitudine spiritum, plurimum omnino valitura sunt exempla et gratia *Francisci Assisiensis* patris, qui cum summa innocentia vitae tantum coniunxit studium castigandi sui, ut IESU-CHRISTI crucifixi imaginem non minus vita et moribus, quam impressis divinitus signis retulisse videatur. Leges eius Ordinis, quas opportune temperavimus, longe sunt ad perferendum leves : momentum ad christianam virtutem habent non leve.

oratione, Deinde vero in his privatis publicisque tantis necessitatibus, cum tota spes salutis utique in patrocinio tutelaque Patris coelestis consistat, magnopere vellemus, studium precandi constans et cum fiducia coniunctum reviviscere. — In omni magno christianae reipublicae tempore, quoties Ecclesiae usuvenit, ut vel externis periculis, vel intestinis premeretur incommodis, praeclare maiores nostri, sublatis in coelum suppliciter oculis, docuerunt, qua ratione et unde lumen animi, unde vim virtutis et apta temporibus adiumenta petere oporteret. Inhaerebant enim penitus in mentibus illa IESU-CHRISTI praecepta, *petite et dabitur vobis* (1) ; *oportet semper orare et non deficere* (2). Quibus resonat Apostolorum vox :

---

1. Matth. VII, 7. — 2. Luc. XVIII, 1.

sine intermissione orate (1) : *obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (2). Quam ad rem non minus acute quam vere illud Ioannes Chrysostomus scriptum per similitudinem reliquit: quo modo homini, cum nudus idemque egens rebus omnibus suscipiatur in lucem, manus natura dedit, quarum ope res ad vitam necessarias sibi compararet; ita in iis, quae sunt supra naturam, cum nihil per se ipse possit, largitus est Deus orandi facultatem, qua ille sapienter usus, omnia quae ad salutem requiruntur, facile impetraret. — His ex rebus singuli statuite, Venerabiles Fratres, quam sit gratum et probatum Nobis studium vestrum in provehenda sacratissimi *Rosarii* religione his praesertim proximis annis, Nobis auctoribus, positum. Neque est silentio praetereunda pietas popularis, quae omnibus fere locis videtur in eo genere excitata : ea tamen ut magis inflammetur ac perseveranter retineatur, summa cura videndum est. Idque si insistimus hortari, quod non semel idem hortati sumus, nemo mirabitur vestrum, quippe qui intelligitis , quanti referat, *Rosarii Marialis* apud christianos florere consuetudinem, optimeque nostis, eam esse huius ipsius spiritus precum, de quo loquimur, partem et formam quandam pulcherrimam, eamdemque convenientem temporibus, usu facilem, utilitate uberrimam.

22 DECEMBRIS 1885.

caritate et animorum concordia.

Quoniam vero Iubilaei prior et maximus fructus, id quod supra indicavimus, emendatio vitae et virtutis accessio esse debet, necessariam nominatim censemus eius fugam mali, quod ipsis superioribus litteris Encyclicis designare non praetermisimus. — Intestina intelligimus ac prope domestica nonnullorum ex nostris dissidia, quae caritatis vinculum, vix dici potest quanta cum pernicie animorum, solvunt aut certe relaxant. Quam rem ideo rursus commemoravimus hoc loco apud vos, Venerabiles Fratres, ecclesiasticae disciplinae mutuaeque caritatis custodes, quia ad prohibendum tam grave incommodum volumus vigilantiam auctoritatemque vestram perpetuo esse conversam. Monendo, hortando,

1. I Thessal. V, 17. — 2. I Timoth. II, 1.

increpando date operam, ut omnes *sollicit sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, utque redeant ad officium, si qui sunt dissidiorum auctores, illud in omni vita cogitantes, Unigenitum Dei Filium in ipsa supremorum appropinquatione cruciatuum nihil a Patre contendisse vehementius, quam ut inter se diligerent, qui crederent aut credituri essent in eum, *ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (1).

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis utriusque sexus Christi fidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam, ad generalis Iubilaei modum, concedimus, ea tamen conditione et lege, ut intra spatium anni proximi MDCCCLXXXVI haec, quae infra scripta sunt, effecerint.

Iubilaei conditiones,

Quotquot Romae sunt cives hospitesve Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam *bis* adeant: ibique aliquandiu pro Ecclesiae catholicae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, secundum mentem Nostram pias ad Deum preces effundant. Iidem duos dies esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos: praeterea peccata sua rite confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipiant, stipemque aliquam pro sua quisque facultate, adhibito in consilium Confessario, in aliquod pium conferant opus, quod ad propagationem et incrementum fidei catholicae pertineat. Integrum unicuique sit, quod malit, optare: duo tamen designanda nominatim putamus, in quibus erit optime collocata beneficentia, utrumque, multis locis, indigens opis et tutelae, utrumque civitati non minus quam Ecclesiae fructuosum, nimirum: *privatas puerorum scholas* et *Seminaria Clericorum*.

1. Io. XVII, 11.

Ceteri vero omnes extra Urbem ubicumque degentes tria templa, a vobis, Venerabiles Fratres, aut a vestris Vicariis seu Officialibus, aut de vestro eorumve mandato ab iis qui curam animarum exercent designanda, *bis*, vel, duo tantum si templa fuerint, *ter*, vel, si unum, *sexies*, dicto temporis intervallo adeant; item alia opera omnia, quae supra commemorata sunt, peragant. Quam indulgentiam etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse volumus. Vobis praeterea potestatem facimus, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, collegiis quibuscumque memoratas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro vestro prudenti arbitrio reducere possitis. *22 DECEMBRIS 1885.*

Concedimus vero ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia, vel alio ad certam stationem sese receperint, visitato *sexies* templo maximo seu parochiali, ceterisque operibus, quae supra praescripta sunt, rite peractis, eamdem indulgentiam consequi queant. — Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet iusta caussa impediantur, quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent, concedimus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit, facta etiam potestate dispensandi super Communionem cum pueris nondum ad primam Communionem admissis. Insuper universis et singulis Christi fidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam saecularem quam regularem ex actu approbatis: qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus. — Confessariis autem, hac occasione et durante huius Iubilaei tempore tantum, omnes illas ipsas facultates largimur, quas largiti sumus per litteras Nostras *privilegia.*

Apostolicas *Pontifices maximi* datas die XV mensis februarii anno MDCCCLXXIX, iis tamen omnibus exceptis, quae in eisdem litteris excepta sunt.

Ceterum summa cura studeant universi magnam Dei parentem praecipuo per id tempus obsequio cultuque demereri. Nam in patrocinio sanctissimae Virginis a *Rosario* sacrum hoc Iubilaeum esse volumus : ipsaque adiutrice confidimus, non paucos futuros, quorum animus detersa admissorum labe expietur, fideque, pietate, iustitia non modo in spem salutis sempiternae, sed etiam in auspicium pacatioris aevi renovetur.

Quorum beneficiorum coelestium auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem vobis, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII decembris MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad principem Othonem Bismarck

DE COMMISSO PONTIFICI MUNERE CONTROVERSIAM POLITICAM GERMANOS INTER ET HISPANOS ORTAM COMPONENDI.

31 DECEMBRIS 1885.

CUM de Carolinis insulis in eas, quae a Nobis propositae fuerant, conditiones auspicato convenerit, laetum ea re animum Nostrum serenissimo Germaniae Imperatori significandum curavimus. Sed eadem animi sensa declarare Tibi quoque volumus, amplissime Princeps, qui ut illa Nobis controversia ad componendum proponeretur, tuo fuisti iudicio tuaque sponte auctor. Immo profiteri libet, id quod res est, si varias difficultates, inter curam negotii, expedire licuit, magna quidem ex parte studio constantiaeque tribuendum tuae, cum obsequi operae Nostrae ab initio ad extremum perrexeris. Itaque gratam Tibi voluntatem testamur, quod tuo potissimum consilio oblata Nobis occasio est peropportuna ad exequendum, concordiae gratia, munus valde nobile: non illud profecto inter res gestas Sedis Apostolicae novum, sed optari longo intervallo desitum: quamvis nihil fere sit, quod cum Romani Pontificatus ingenio naturaque tam luculenter consentiat. Tu quidem iudicium tuum libere secutus, et rem ex veritate magis, quam ex aliorum opinione aut more aestimans, nihil sane dubitavisti, quin aequitati Nostrae confideres. Qua in re aut apertam aut tacitam approbationem virorum incorrupte iudicantium visus es habere comitem: libentibus nominatim toto orbe catholicis, quos certe mire capere habitus Parenti ac Pastori suo debuit honos. Civilis prudentia tua plurimum sane valuit ad pariendam tantam Imperio Germanico magnitudinem, quantam agnoscunt et fatentur universi: illud autem, quod consentaneum est, hoc tempore spectas, ut stet et floreat quotidie magis Imperium, potentia ad diuturnitatem opibusque munitum. Sed minime fugit sapientiam tuam, quantum virtutis ad incolumitatem ordinis publici rerum-

Pontifex gratam voluntatem Principi testatur,

ob egregias partes ab ipso in toto negotio peractas:

exinde aliorum bonorum auspicium capit.

que civilium in ea potestate resideat, quae geritur a Nobis, maxime si fuerit, omni amoto impedimento, ad agendum libera. Liceat igitur praecipere cogitatione futura, et ex iis, quae acta sunt, auspicium capere reliquorum. Interea aliquod ut habeas a Nobismetipsis cum facti, tum voluntatis Nostrae testimonium, Te per has Litteras renuntiamus Equitem *Ordinis militiae Christi :* cuius insignia dignitatis una cum his ipsis litteris ad te perferri iussimus. Denique fausta Tibi omnia ex animo adprecamur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI decembris MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos Borussiae

DE REI CATHOLICAE IN GERMANIA CONDITIONIBUS.

6 IANUARII 1886.

IAMPRIDEM Nobis in votis erat, Venerabiles Fratres, vos alloqui, ut de praesentibus rei catholicae in Germania conditionibus vobiscum ageremus. — Illud valde optabamus, singulari quadam ratione, testari magnitudinem paternae caritatis ac studii, quo vos et dilectos vestros filios complectimur: simulque vobis gratulari de sollicitudine illa plane apostolica, qua vos omnes, Venerabiles Fratres, in gregem vestrum animatos inflammatosque conspicimus. Intelligimus praesertim curas, quas constanter adhibuistis, ut catholici homines, fidei vestrae concrediti, nunquam se a virtute, a pietate, a salutis via abduci paterentur. — Maxime etiam cordi erat, vobis patefacere animi solatium atque oblectationem, quam percipimus tum ex summa voluntate, qua universi catholici homines Germaniae vobis adhaerescunt, vobisque dicto audientes sunt, tum ex disciplina et concordia, quae inter ipsos magis magisque invalescit.

Quod antea non licuit, placet praestare modo per hanc epistolam, quam ultro ad vos damus, spem bonam animo foventes fore ut, divinae Providentiae beneficio, cito dies affulgeat, qui religioni et Ecclesiae in Germania laeta meliorum rerum initia afferat.

Mediis in perturbationibus per leges libertatis Ecclesiae laesivas excitatis, enituit Germanorum egregia virtus et in avita fide constantia.

Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, mutuam concordiam, quae haud brevi annorum spatio inter hanc Apostolicam Sedem et Borussiae Regnum fauste feliciter intercesserat, magnis ex improviso perturbationibus fuisse obnoxiam, ob eas praesertim latas leges, quibus catholici cives in grave discrimen et angorem adducti sunt. — At haec calamitas, quae Decessorem Nostrum fel. rec. Pium IX ac Nos etiam magno dolore affecit, occasionem praebuit, moderante Deo, quamobrem tum Pastorum tum Fidelium

Germaniae virtus et in avita fide constantia maiorem in modum eluceret. Quae quidem virtus et constantia eo maiori commendatione digna est, quod, cum illi strenuam caussae Ecclesiae tuendae operam darent, nunquam a fide et obsequio maiestati Principis debito, numquam a patriae caritate descesserint; et obtrectatoribus suis re ipsa ostenderint, non civilium rationum respectu, sed religione officii, quae opus Dei sanctum et inviolatum haberi iubet, sese unice moveri. — Hinc factum est, ut summus ipse meritorum auctor ac remunerator Deus non modo in vos, Venerabiles Fratres, sed etiam in universum Dioecesium vestrarum populum amplissima bonitatis et gratiarum suarum munera effuderit. Eo enim opem suam largiente, licet, novarum legum caussa, imminueretur in dies inter Borussiae fideles sacerdotum numerus, et in pluribus curialibus Ecclesiis deessent qui sacra fidelibus administrarent; licet viri fallaces, *veterum catholicorum* sibi nomine imposito, novas pravasque doctrinas serentes, discipulos post se abducere fraude deceptos conarentur, vidimus tamen cum gaudio dilectos filios catholicos e Germania fidem patrum suorum integre firmiterque tenere; nusquam se insidiis magistrorum nequitiae pervios praebere; sed christiani animi magnitudine pericula vincere, et tanto maiore in Ecclesiam studio moveri quanto asperioribus molestiis eam exerceri conspiciebant.

Interea Pontifex curas omnes contulit ad difficultates removendas, paratus omnia concedere

Quibus ex rebus magnae virtutis et gloriae, dolorem a Nobis susceptum ob memoratas leges levari sensimus; ac pio cordis affectu Deo laudes gratiasque egimus, qui filiorum suorum animis robur illud mirabiliter indiderat; et oblata occasione facere non potuimus, quin vestram istarumque catholicarum gentium virtutem merita commendatione palam ornaremus. — Sed Apostolico ministerio Nostro, quo vigilare cogimur ne Ecclesiae status ullum detrimentum capiat, neu interior vita eiusdem Ecclesiae ullis perturbationibus obnoxia sit, ea omnia haud satis erant, nisi pariter quantum in Nobis auctoritatis et studii est, id omne ad removendas praesentium temporum difficultates contulissemus. Quapropter nulli pepercimus curae, nullum praetermisimus officium, ut eae leges revocarentur, quae diuturnas

Ecclesiae angustias, vobisque magnam laborum segetem pepererunt. Ac tantum Nobis studium fuit et inest adhuc animo restituendi solidis innixam fundamentis concordiam ac pacem, ut declarare supremis rerum Moderatoribus non omiserimus, propositum esse Nobis usque eo Nos morigeros eorum voluntati praebere, quo per divinas leges et conscientiae officium liceret. Quin immo hoc ipsum propositum Nos manifestis patefacere argumentis non dubitavimus ; destinatumque animo habemus, nihil etiam in posterum praetermittere, quod restituendae firmandaeque concordiae conferre videatur.

6 IANUARII 1886.

At vero, ut hoc quod votis et spe Nostra prosequimur auspicato contingat, praecipue curandum est, ut a publicis legibus exulent quae contraria sunt rationibus catholicae disciplinae in eo quod sanctius et antiquius pietati fidelium est ; itemque quae libertatem impediunt Episcoporum propriam, Ecclesias suas regendi ad normas divinitus constitutas, atque instituendae in sacris Seminariis ad canonicarum sanctionum praescripta iuventutis. — Quamquam enim sincero pacis studio teneamur, non tamen fas est Nobis contra ea, quae divinitus constituta et sancita sunt, quidquam audere; pro quibus profecto, si ad ea tuenda opus esset extrema quaeque perpeti, exemplo Decessorum nostrorum, non dubitaremus.

quae cum essentialibus Ecclesiae iuribus et necessaria eius libertate consistere possint.

Vos autem, Venerabiles Fratres, non ignari estis quae sit intima Ecclesiae natura, et qualem ipsam divinus eius conditor constituerit, quaeque iura exinde dimanent, quorum vim convellere aut detrectare nemini licet. Nimirum, uti Nos ipsi litteris Nostris encyclicis *Immortale Dei* nuperrime declaravimus, Ecclesia societas est supernaturalis atque in suo ordine perfecta. Quemadmodum enim id sibi propositum habet, ut filios suos ad aeternam beatitudinem adducat, ita divinitus datis praesidiis et instrumentis est praedita, quibus eos aeternorum bonorum compotes faciat, inceptans in terris et in huius viae militia aedificium, quod supremum fastigium supremumque decus est habiturum in coelis. Ad solam autem Ecclesiam pertinet statuere de iis quae interiorem eius vitam spectant, cuius ratio a Christo Domino

Ecclesia est societas perfecta et independens.

restitutore salutis nostrae fuit constituta. Hanc potestatem liberam et nemini obnoxiam unum penes esse Petrum et successores eius Christus iussit, ac sub auctoritate et magisterio Petri penes esse Episcopos in suis cuiusque Ecclesiis: quae Episcoporum potestas natura sua disciplinam Cleri, tum in iis quae ad sacra munera, tum in iis quae ad sacerdotalis vitae rationem pertinent, praecipue complectitur: *presbyterium enim Episcopo coaptatum est sicut chordae citharae* (1).

Inter caetera iura, illi soli competit potestas instituendi clericos,

Cum porro sacerdotalis ordo, tam sublimis ministerii haeres, aliis post alios succedentibus, nunquam sui dispar saeculorum cursu renovetur, cumque opus sit, ut qui in hunc ordinem vocati sunt, sinceritate doctrinae et innocentia vitae, quantum fieri potest, eorum vestigiis insistant, quos Christus primos fidei satores elegit, nemini dubium esse potest, non aliis quam Episcopis ius munusque esse docendi et instituendi iuvenes, quos Deus singulari beneficio ex hominibus assumit, ut sint ministri sui ac dispensatores mysteriorum suorum. — Ac sane, si ab iis quibus dictum est, *docete omnes gentes*, religionis doctrinam homines debent excipere, quanto validiori iure ad Episcopos cura pertinet, ea quam potiorem duxerint ratione, eorumque docentium ope quos maxime probaverint, sanae doctrinae pabula tradendi iis, qui pro suo ministerio sal terrae futuri sunt, et pro Christo apud homines legatione functuri? Nec solum hoc gravissimo munere obstringuntur Episcopi, sed eo insuper ut vigilantiam suam bono alumnorum sacri ordinis impertiant, eosque mature imbuant solidae pietatis sensibus, qua dempta, nec ii sacerdotii honore digni sunt, nec muneribus eius rite implendis pares esse possunt.

quae potestas demonstratur tum a natura rei,

Vos certe, Venerabiles Fratres, ratione atque experientia edocti, optime nostis quam arduum sit, quam diuturni laboris opus tales iuvenes fingere et instituere. Cum enim qui primoribus annis Deum elegerunt in haereditatem suam, ex Apostolorum Principis praecepto teneantur se ipsos vivam virtutis continentiaeque formam oculis christiani populi exhibere, ii mature discant oportet, sub magisterio Episco-

1. Ignat. M. Ep. ad Ephes. c. XV.

porum ac delectorum moderatorum disciplina, cupiditatibus suis dominari, terrena despicere, coelestia appetere, quorum et cogitatione muniti et amore inflammati, facilius possint inter mundi corruptelas caste integreque versari. Oportet insuper ut cito assuescant constanti et impavido esse animo in munere explicandae populis tuendaeque catholicae veritatis, quam mundus spernit ac pertinaci odio prosequitur. Quid sane, Venerabiles Fratres, expectandum esset, si cum tempora incidunt, quae vehementiorem postulant pro tuenda Ecclesiae caussa dimicationem, sacri ordinis viri, sanctae disciplinae et caritatis ope, in id iampridem comparati non sint ut Episcopis suis cum fide adhaereant, eorum excipiant voces, et aspera quaeque pro IESU CHRISTI nomine proferre non vereantur ? Scilicet iuvenilium annorum disciplina, quae in Seminariis aliisque sacrae institutionis sedibus traditur, ea est qua sacrorum alumni, procul ab humanarum curarum aestu, ad apostolica ministeria rite obeunda informantur, et ad quaeque vitae incommoda atque ad omne laborum genus laeto animo subeundum in salutem animarum. Ea est quae efficit, vigilantibus ac praesidentibus Episcopis delectisque ab iis presbyteris diuturna sacrae disciplinae peritia spectatis, ut alumni discant aequa lance metiri vires suas et quid ipsae valeant agnoscant : ac Pastores vicissim, compertis cuiusque ingeniis et moribus, scienter decernere possint, qui sint ex iis sacerdotii honore digni, et cavere ne quis immerito aut praepostere sacris ordinibus initietur. At qui poterunt huiusmodi salutares fructus haberi, nisi plena sacris Pastoribus sit facultas impedimenta removendi et opportunis ad id assequendum utendi praesidiis ? — Qua in re, quoniam nationis vestrae homines, praeter alia ornamenta, armorum quoque gloria excellunt, passuri ne unquam essent qui rei publicae praesunt, ut qui iuvenes rudimenta militiae ad ducendos ordines et bellica munera administranda in militaribus institutis accipiunt, ab aliis potius quam a peritis bellicae artis scientiam armorum ediscerent, atque ab aliis magis quam ab idoneis militiae magistris disciplinam castrorum, usum rerum et martios spiritus haurirent ?

6 IANUARII 1886.

tum a saeculorum experientia;

Ex his facile intelligitur cur a vetustissimis Ecclesiae temporibus Romani Pontifices et catholici Episcopi omnem curam gesserint, ut candidatis sacri ordinis contubernia constituerent, in quibus eos aut per se ipsos, aut probatis adhibitis magistris, quos interdum e sacerdotibus Cathedralis Ecclesiae legebant, ad litteras, ad severiores doctrinas et praecipue ad mores sua vocatione dignos excolerent. Adhuc hominum memoria celebrantur domus olim ab Episcopis et coenobitis clericis excipiendis apertae, atque inter eas illustris adhuc fama viget Patriarchii Lateranensis, ex quo, velut ex arce sapientiae et virtutis, Pontifices maximi et Antistites sanctimonia ac doctrina clari prodierunt. Ac tanti momenti hoc studium accuratae diligentisque clericorum disciplinae, et tam necessarium visum est, ut iam inde ab initio saeculi sexti Synodus Toletana, *de iis quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio manciparat*, statuerit *observandum ut mox cum detonsi vel ministerium lectorum contraditi essent, in domo Ecclesiae sub Episcopali praesentia a Praeposito sibi deberent erudiri.* — Inde liquet quam gravi iustaque de caussa vehementer contendamus, vestrarum Dioecesium Seminaria ad eas normas constitui, ordinari atque componi, quas Concilii Tridentini Patres, ut notum pervulgatumque est, tradidere. Nec alia profecto fuit caussa cur Apostolica Sedes, cum inter romanos Pontifices et supremos rerum publicarum Moderatores pactionum foedera pro variis temporum rationibus inita sunt, diligenter in iis cautum consultumque sacris Seminariis voluit, et Episcoporum ius in iis regendis, alia quavis potestate exclusa, sartum tectumque esse curavit. Cuius rei perspicuum inter alia documentum praebent Apostolicae litterae, quarum initium *De salute animarum*, quae a fel. rec. Pio VIII Decessore Nostro die decima octava iulii anno MDCCCXXXI editae fuere, conventione ab Eo inita cum Borussiae Rege, in qua de nova Dioecesium descriptione agebatur.

item facultas sacerdotes ad ministeria sacra deligendi.

Sit igitur integrum, sit liberum ius et potestas Episcopis in Seminarioum palaestra mansuetae Christi militiae fingendae conferre operam ; sit integrum sacerdotes iudicio suo deligere alios aliis ministeriis praeficiendos, ac nulli impe-

dimento obnoxios pastorali suo munere tranquille perfungi.

6 IANUARII 1886.

Ex his autem, quae ediximus, videtis, Venerabiles Fratres, quam vere iusteque declaratum a Nobis fuerit, ad faustam stabilemque concordiam, summis votis tamdiu expetitam, inter potestatem utramque ineundam, opus esse latas leges ita componi, ut necessaria ad vivendum agendumque libertas Ecclesiae salva supersit. Ac Nos confidimus viros qui rei publicae gubernacula tenent, aequos se caussae nostrae praebituros, eaque Nobis praestituros, quae vi sanctissimorum iurium postulamus.

Ministri sacri, vero Ecclesiae spiritu imbuti, nedum principum auctoritati noceant, potius eorum operam iuvant:

Nec vero postulata Nostra talia sunt, ut ex iis quidquam imperantibus de sua dignitate et potestate decedat; quin immo ex ipsis magnae in bonum publicum solidaeque dimanant utilitates. Quae enim a vobis, Venerabiles Fratres, et a cooperatoribus vestris in ministerio verbi populis documenta traduntur in iis, quae ad eorum officia erga civilem auctoritatem pertinent, huc maxime redeunt : scilicet omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* [1]; publica onera aequo animo ferenda; a turbulentis consiliis et molitionibus abstinendum; caritate fraternitatis invicem dilectionem exhibendam, mutuaque officia in hominum societate cum fide servanda. Quod si maior, quam nunc est, cooperatorum vestrorum evaderet numerus, ex hoc incremento una etiam eorum augeretur manus, quorum est tam salutaria humanae societati documenta in populos propagare; simulque facilius possent destitutae iamdiu rectorum suorum solatio paroeciales ecclesiae probatorum sacerdotum curae committi: quod catholicorum vota maxime flagitant.

virtutes civicas cum religione inculcando,

sectarum conatibus obsistendo,

Sunt praeterea, ut nostis, Venerabiles Fratres, in humanae societatis sinu plura publicarum perturbationum semina, veluti passim dispositi ignes, qui saevum minitantur incendium, in quibus praecipue se effert operariorum caussa, quae rei publicae moderatorum sollicitos habet animos, rationem quaerentium qua impendentibus periculis occurrant, viamque obstruant *sectarum* asseclis, qui in omnem

1. Rom. XIII, 5.

occasionem excubant crescendi ex publicis malis, resque novas, magno cum rei publicae detrimento, moliendi. — Atqui mirum est quantum hac ipsa in re de humana societate mereri Ecclesiae ministri, opera sua, possunt; quod et in aliorum temporum procellis et calamitatibus scimus contigisse. Sacerdotes enim, qui pro sui ministerii ratione cum inferiorum ordinum hominibus quotidianam pene consuetudinem habent et cum iis solent familiariter intimeque versari, labores et dolores penitus norunt eius generis hominum; saucia eorumdem corda propius intuentur; et opportuna auxilia, documenta ex divinae religionis fontibus depromentes, nati apti sunt ea solatia et remedia aegris animis afferre, quae maxime praesentium malorum lenire sensum, fractas revocare vires possunt, et praecipites in turbulenta consilia animos compescere.

Evangelium apud gentes barbaras, in quibus coloniae statuuntur, praedicando.

Nec minus insuper validam utilemque operam sacri ordinis viri eo imbuti spiritu, quem Ecclesia ministris suis indit, navare possunt in iis regionibus longe dissitis et a civili cultu remotis, in quibus *colonias* statuere plures Europae principes hoc tempore instituerunt. — Ipsi rei germanicae Gubernatores non modo certatim curant colonias deducere, possessionesque ampliare, sed etiam novos aditus industriae et mercaturis faciendis patefacere. Iidemque de humanitate gentium hoc etiam nomine optime merebuntur, quod nitantur tribus immanes et feras urbanis moribus atque artibus expolire. — Magni autem refert ad rudium et incultarum gentium demerendos animos voluntatesque conciliandas, eas confestim salutaria religionis praecepta edocere, ad veram recti honestique speciem intuendam adducere, et dignitatis filiorum Dei conscias efficere, ad quam ipsae etiam, Sospitatoris nostri meritis vocatae sunt. Quas res maxime propositas animo habentes romani Pontifices, Evangelii praecones ad incultos populos mittere sedulo naviterque curarunt. Ac sane opus, de quo agitur, non exercituum, non civilium magistratuum, neque dominantium est, quamquam ipsi fructum ex eo uberrimum capiunt; sed illorum, uti testatur historia, est hominum, qui ex Ecclesiae castris prodeuntes, sacrarum expeditionum labores et pericula

6 IANUARII 1886.

sibi suscipiunt, ac velut nuncii et interpretes Dei, inter barbaras gentes migrare non verentur, vitam et sanguinem fratrum saluti libenter largituri.

Haec omnia Nos animo reputantes et cogitatione complectentes, in spem adducimur fore ut, Deo aspirante et favente, vota Nostra optato exitu fortunentur. Vos autem, Venerabiles Fratres, pergite assiduis ad Deum precibus idipsum implorare. Cumque animi vestri non humanis cupiditatibus et consiliis, sed unice divinae gloriae studio et amore erga Ecclesiam agantur, dubitandum non est quin, divina opitulante gratia, dignam constantiae vestrae mercedem referatis.

Necessaria concordia et unio cum Romano Pontifice.

Et quoniam in omnibus rebus ad prosperos earum exitus, magna semper vis fuit coniunctionis animorum mutuaeque caritatis, nihil sit vobis antiquius, quam sanctum caritatis vinculum inter vos omni studio tueri. Qua in re illud etiam vos perpendere volumus, Venerabiles Fratres: eas perturbationes quibus obnoxii estis, tales esse, ut non magis proprias singularum Dioecesium, quam communes universae Ecclesiae rationes attingant : quarum tutela, ut nostis, huic Apostolicae Sedi commissa est, in qua suprema potestas Ecclesiam regendi, supremum eius magisterium, et catholicae unitatis centrum est constitutum. In hanc igitur Apostolicam Cathedram vestri perpetuo coniecti sint oculi, ac vobiscum reputate, nihil ipsi esse potius, quam curam omnem operamque conferre, ut concertationibus, quae ista regione vigent, finis tandem, uti vos vestraeque procurationis fideles optant, imponatur.

Patrem denique misericordiarum ex intimo corde adprecantes, ut respiciat labores et dolores vestros, atque communibus votis propitius annuat, Apostolicam benedictionem, praecipuae Nostrae dilectionis testem, auspicemque praesidii et solatii coelestis, vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero et fidelibus cuiusque vestrum fidei concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI ianuarii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Lusitaniae Regem

DE RATIONE COMPONENDI RES GOANAS.

6 IANUARII 1886.

NON senza provarne sentimento di vivo rammarico, abbiamo appresa la notizia della perdita del Re Ferdinando, Augusto Genitore di Vostra Maestà.

Che se i Nostri suffragi come pure quelli che gli si renderanno solennemente nella Chiesa Nazionale del Portogallo, e la parte che prendiamo a così luttuoso avvenimento, valessero a lenire il dolore di Vostra Maestà, Noi saremmo confortati almeno dal pensiero, di aver potuto compiere un pietoso uffizio.

In tale occasione poi Ci permetta Vostra Maesta di aprirle tutto l'animo Nostro, come gia Ci proponevamo, sulle negoziazioni, che corrono fra la Santa Sede ed il Governo di Vostra Maestà, in rapporto al Patronato Portoghese nelle Indie.

Gentis Lusitanicae merita in religionem et Ecclesiam catholicam.

Nel rivolgere pertanto direttamente a Vostra Maestà la Nostra parola, Ci è grato innanzi tutto di constatare, che come per lo passato, così al presente la Nazione Portoghese ha ben meritato di questa Sede Apostolica, alla quale ha costantemente tributato l'omaggio del suo ossequio e della sua venerazione.

Propter illa merita, privilegia multiplicia Regibus concessa, in specie privilegium patronatus *in Ecclesias Indiarum,*

Ci gode invero l'animo nel rammentare, che mentre quella Nazione rimase unita al centro della Cattolicita, i suoi sovrani si adoperarono alacremente a propagare il Cattolicismo nelle nuove terre per essi conquistate. Può quindi veramente affermarsi che la bandiera Lusitana si spiegò ovunque all' ombra della Croce, sicchè le conquiste del Portogallo ponno riguardarsi come altrettante conquiste della Religione. Pertanto come il titolo di Re Fedelissimo, così pure furono ben conceduti que' molti e particolari privilegi dei quali i sovrani del Portogallo furono dai Romani Pontefici largamente insigniti. Fra questi hassi certa-

mente ad annoverare il privilegio del Patronato sulle chiese delle Indie Orientali, che i Nostri Predecessori vollero ad essi nelle forme più ampie conferire.

Che se i Romani Pontefici nel profondere cosi speciali concessioni furono mossi dal sentimento di rimunerare lo zelo religioso di quei Sovrani, ebbero però al tempo stesso in vista di eccitarli a fondare nuove chiese e fornirle di congrua dote, ed a costituirvi un ecclesiastico organamento, che meglio rispondesse all' esigenze di quelle cristianità ed alla propagazione della fede.

cui tamen privilegio annexae obligationes.

È questo d'altronde il concetto fondamentale del Patronato, al quale dovevano ispirarsi i Nostri Predecessori, ed al quale in realtà s' ispirarono, come risulta da' relativi documenti.

Temporum circumstantiis diu coacti sunt Pontifices rei catholicae apud Indos providere missis fidei praeconibus et constitutis vicariis apostolicis.

Senonchè queste condizioni inerenti alla natura del Patronato, e richieste esplicitamente nella sua concessione, per un complesso di circostanze, che ora non è duopo il ricordare, non furono attuate nella proporzione che richiedeva il bene spirituale di quei popoli.

In tale stato di cose, la S. Sede non potendo permettere che per motivi ad Essa estranei, gran parte di quelle cristianità fosse pressochè abbandonata; che l'opera dell' evangelizzamento degli infedeli rimanesse quasi paralizzata, si studiò di provvedere al bisogno, collo inviarvi elette schiere di operai Evangelici.

Da qual felice risultato siano state coronate le fatiche dei Missionari, lo addimostrano le conversioni per essi operate e le fiorenti missioni ivi costituite.

Cum autem, dilatato iam nomine christiano, agatur de instituenda ibidem sacra hierarchia,

È perciò che il progressivo sviluppo e le rigogliose condizioni di quel popolo cristiano ci consigliano di far cessare lo stato anormale e precario fin qui protratto, e di sostituirvi la forma normale e canonica della Ecclesiastica Gerarchia.

Mentre però Ci disponiamo a prendere tale provvedimento che sarà per tornare di grande vantaggio alla Chiesa delle Indie, e di gloria non lieve al nome cattolico, Noi per altra parte non abbiamo omesso di togliere nella dovuta considerazione i rilievi che il Governo di Vostra Maesta ha

fatto comunicare alla S. Sede sul tema del Regio Patronato.

rationem proponit Pontifex qua necessitatibus religionis prospiciatur, et simul sarta maneant vetera Lusitanorum privilegia :

Nell' intento pertanto di far cosa grata alla Maestà Vostra, ed alla Nazione Portoghese, abbiamo fatto presentare per mezzo del suo Ambasciatore al di Lei Governo un progetto, che Ci sembra soddisfare alle avite tradizioni ed ai legittimi interessi del Portogallo, compatibili colla istituzione della Gerarchia, e col bene religioso delle popolazioni delle Indie : alle quali non potrebbe provvedersi colla creazione di una doppia autorità nello stesso territorio. E di già il Nostro Predecessore Gregorio XVI nel Breve del 4 gennaio 1837 dichiaro : *A Nobis duplicem in urbe Calcuttae auctoritatem creari non expedit, quod neque Ecclesiae mos patitur, nec paci et unitati fovendae idoneum foret.*

hae sunt conditiones:

Archiepiscopus Goanus ad Patriarchae dignitatem evehetur,

Al contrario, secondo le proposte della S. Sede, l'Arcivescovo di Goa viene innalzato alla dignità di Patriarca in tutte le Indie Orientali, sulle quali puo spiegare tutta quell' influenza che la onorifica posizione di Capo morale gli crea.

Inoltre la facoltà, che gli si conferisce, di presiedere a Concilii nazionali, lo pone nella condizione di provedere, insieme coll' Episcopato delle Indie, all' esigenze del clero e del popolo cattolico.

Metropoli Goanae tres subditae dioeceses Lusitanae ;

Quindi coll' erezione di tre diocesi Portoghesi il medesimo Arcivescovo di Goa viene a godere de' dritti metropolitani su que' Vescovati suffraganei.

ius Principi concessum nominandi ad sedes exclusive Lusitanas, et tres candidatos praesentandi ad sedes quibus magno numero Lusitani subiacent.

La Corona poi col nominare l'Arcivescovo di Goa ed i tre Vescovi suoi suffraganei nonchè collo scegliere e presentare alla S. Sede un candidato compreso nella terna compilata dai Vescovi delle nuove quattro provincie ecclesiastiche, nelle quali si trova un numero ragguardevole di Goani, manterrebbe il Patronato non solamente come ricordo storico di quello che gli Augusti Antenati di Vostra Maestà hanno operato a favore della Religione, ma eziandio coll' esercizio effettivo di quel privilegio, nelle forme che le attuali circostanze consentono. Nè si è omesso di prendere in considerazione quei gruppi principali di Goani che sarebbero esclusi dalla giurisdizione de' Vescovi Portoghesi; avvegnachè abbiamo appalesato la Nostra disposizione perchè la cura di quelle anime sia affidata a sacerdoti Goani.

Dal che si può inferire che anche l'ultimo Concordato del 1857 viene sostanzialmente conservato, coll' introdurvi quelle modificazioni che sono reclamate dalle condizioni religiose dell' attuale situazione.

6 IANUARII 1886.

Per tal guisa cesserebbero le cagioni degl' inconvenienti e degli attriti che si sono dovuti deplorare fin qui, e, rifiorendo l'unità e la pace nella Chiesa delle Indie, tutte le forze convergerebbero allo scopo essenziale della Religione, cioè alla salute delle anime.

harum conditionum aequitas.

In tutto questo procedimento, come la Maestà Vostra vorrà rendercene giustizia, Noi non fummo animati da altro desiderio, che da quello di porre un termine alle difficoltà inseparabili da un modo di esistere eccezionale e complicato, nonche di provedere nel miglior modo possibile all' incremento ed all' avvenire del Cattolicismo nell' Indie.

Nondimeno nell' adempimento de' Nostri doveri, e nel conseguimento del fine impostoci dal Nostro Apostolico Ministero, abbiamo usato ogni studio ed industria per appagare il Governo di Vostra Maestà, nella più larga misura, che per Noi si potesse.

È poi nostro intendimento che su que' territorii, le cui condizioni non hanno subito sostanziali cangiamenti, il Patronato della Corona Portoghese rimanga nel suo pieno vigore. Vogliamo specialmente alludere al Congo, ove desideriamo vivamente che Vostra Maesta, giovandosi de' privilegi che a Reale Patrono si appartengono voglia adoperarsi per farvi progredire e dilatare il Cattolicismo, sopratutto coll' istituzione di Collegi pe' Missionarii, che incentrandosi nella Sede Metropolitana di Lisbona, alla quale forniranno idonei soggetti anche gli altri Vescovi, diffondano quindi i loro allievi pei dominii Portoghesi nel Congo, come altrettanti raggi di luce e di vita.

In aliis regionibus Lusitanorum patronatus in vigore manet, et postulatur ut sit efficax.

Dopo ciò noi portiamo ferma fiducia che Vostra Maestà investendosi degli obblighi inerenti al Nostro Apostolico Ministero, ed apprezzando l'equità delle accennate proposte, vorrà rendersi benemerito cooperatore nella sistemazione della Chiesa delle Indie. Dal che ne seguirà che come il nome dei gloriosi suoi Predecessori, i quali fecero propagare

Spes boni exitus.

il Regno di Cristo fra quei popoli, così il nome di Vostra Maestà, per avere generosamente contribuito alla definitiva costituzione della Chiesa Indiana, sara benedetto dai cattolici, e registrato con sensi di riconoscente affetto negli Annali Ecclesiastici.

Nè dissimile fiducia nutriamo che il popolo Portoghese vorrà rendere ragione ai Nostri sentimenti.

Lungi da Noi l'idea di adombrare le sue gloriose tradizioni, o di contraddire alle sue legittime aspirazioni!

La conoscenza delle Nostre proposizioni varrà a farle giustamente apprezzare, ed a dileguare qualunque impressione preconcetta.

Ma d'altronde un popolo, che va orgoglioso di noverare come prima sua gloria, l' aver conservata intatta la fede degli avi, saprà comprendere che la Chiesa Cattolica, comechè universale e perpetua, deve seguire le situazioni create dalla variabilità degli umani eventi, nell' intendimento supremo di coordinarli agl' interessi religiosi.

Riceva frattanto l'Apostolica benedizione che dall' intimo del Nostro cuore impartiamo a Vostra Maestà ed a tutta la Reale Famiglia.

Roma 6 gennaio, 1886.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE PONTIFICIA SENTENTIA QUA CONTROVERSIA COMPONITUR HISPANOS INTER ET GERMANOS ORTA CIRCA CAROLINAS INSULAS.

15 IANUARII 1886.

ETSI res, de qua dicere instituimus, in communi iam cognitione versatur, tamen quia cum publico gentium bono coniungitur, et morem Apostolicae Sedi perhonorificum eumque iamdiu intermissum renovavit, idcirco dignam iudicamus, de qua ad vos in hoc amplissimo loco per Nosmetipsos referatur.

Oblatum munus transigendi negotii libenter acceptum.

Superiore mense Septembri, cum a Nobis Germaniae Imperator et Hispaniae Rex simul petissent, ut in controversia de Carolinis insulis auctores transigendi negotii Nos fieri placeret, delatum fidei Nostrae perofficiose munus grata libentique voluntate recepimus, quia prodesse aliquid opera Nostra concordiae et humanitati posse videbatur. Itaque adlata ultro citroque momenta rationum iudicio sincero et aequo perpendimus : brevique licuit quaedam constituendae concordiae velut fundamenta indicare, quae utrisque probabilia confidebamus futura.

Perpensa rationum momenta :

Hispania quidem ius suum in dissitas illas Micronesiae regiones multimodis tuebatur : natione eorum, qui ad ea littora primi appulissent : testimonio scriptorum de re geographica gravissimorum : nomine ipso Carolinarum hispanica origine : denique et illud afferebat, apostolicos viros illuc plus semel ab regibus suis missos. Cuius postremae rei cum rebus gestis Pontificatus romani est nexa et iugata memoria. Extat enim epistola Clementis XI decessoris Nostri ad Philippum V data anno MDCCVI, qua regem collaudat, quod navigium pro traiectu resque omnes necessarias Missionariis commodasset ad eas insulas transmissuris : praetereaque hortatur, ut christianum propagare nomen, et saluti tot hominum sempiternae opitulari perseveret. Idem Pontifex a Ludovico XIV rege Galliarum per litteras rogavit ne gravaretur a Philippo V nepote suo contendere,

quae Hispanis faverent,

ut bene coepta, bene vellet perficere. Huc accedit, Philippum ipsum in tuitionem sacrae eius expeditionis annuos reditus addixisse ad duo millia nûmum : insuper in instituendis ad religionem incolis Hispanorum hominum operam singularem fuisse, interveniente nemine : postremo quod est de vita cognitum moribusque insulanorum, id apostolicis viris cognitum esse auctoribus.

Ex hac serie rerum, si modo ad praescripta examinentur iuris publici, quod tunc valebat cum illae res agerentur, eminere satis certam Hispaniae in Carolinas insulas auctoritatem. Etenim si ius imperii erudiendis barbaris gentibus recte quaeritur, profecto qui eas a superstitione ad Evangelium vindicare studuisset, maximum attulisse humanitatis lumen videbatur, cum omnis urbani cultus inclusa in religione semina putarentur. Hoc principio constituta saepe imperia, nominatim in plures Oceani insulas, quarum non paucae nomen ipsum a religione invenerunt. — Cum igitur vetus et rata insedisset in mentibus opinio, Carolinas insulas in Hispanorum esse potestate, mirum non esse, quod, orto repente de earum possessione certamine, exarserit Hispana gens concitatione tanta animorum, ut nec tranquillitas mansura domi, nec amicitia foris videretur.

quae faverent Germanis.

His tamen rationibus illud a Germanis in genere iuris opponebatur, insidendo obtineri terras oportere : idque, si recentia quaedam facta animadvertantur, ratum iure gentium videri, legitimam in terras vacuas auctoritatem occupatione usuque gigni : occupatio ususque quamdiu absint, tamdiu perinde ac *res nullius* haberi terras. Deinde, si factum spectetur, cum unius dimidiatique saeculi spatio possessionem Carolinarum Hispania intermisisset, adiudicandas ei videri, qui primus occupavisset. Huc accedere, quod anno MDCCCLXXV, cum quaedam, in caussa non multum dissimili , dissensio fuisset , Germania et Britannia testatae sunt, nequaquam se hispanicam in Carolinas ditionem agnoscere.

Conditionibus a Pontifice propositis utraque pars consensit

Ergo contrarias in sententias abeuntibus animis, maiora prohibere dissidia conati sumus, habitaque iurium et commodorum utriusque gentis ratione, qui Nobis modus ineun-

dae concordiae maxime opportunus videretur, fidenter significavimus. Aequitatem sequuti sumus ducem, et in eas conditiones, quae a Nobis propositae sunt, quas singuli nostis, utraque pars libens concessit.

15 IANUARII 1886.

Ita quod, spectato illo, qui nunc est, opinionum cursu, vix sperari posse videbatur, divinae providentiae nutu factum est, ut summa Ecclesiae auctoritas testimonium amplum referret a nationibus duabus, nomine potentiaque magnis, et, quod est muneris sui maxime proprium, pacem inter eas concordiamque efficaci consilio tueretur. Quod est quidem ab illa virtute repetendum salutari et benefica, quam potestati Pontificum maximorum Deus auctor ingenuit, quaeque inimicorum invidia maior et temporum iniquitate fortior, nec extingui potest nec mutari. Ex quo ipso iterum apparet quam sit grave malum oppugnatio Sedis Apostolicae, eiusque legitimae libertatis diminutio : quibus rebus non modo iustitia religioque violatur, sed ipsa deseritur utilitas publica: propterea quod in hoc praesertim rerum publicarum tam ancipiti dubioque statu romanus quidem Pontificatus bona allaturus esset longe maiora, si, incolumi libertate vindicatisque iuribus suis, vim suam omnem posset in salutem humani generis, nulla re impediente, exercere.

Quantum posset Romanus Pontifex ad populorum pacem, si debita libertate frueretur.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE NOVORUM CARDINALIUM CREATIONE.

7 IUNII 1886.

IN sacrum Consistorium hodierna die Vos advocandos censuimus non ea solum de caussa ut viduatas pastoribus christiani orbis Ecclesias novis Episcopis donaremus, verum etiam ut de Cardinalium creatione ageremus, quam Collegii vestri decus et splendor, atque ipsa temporum conditio postulare a Nobis videbantur. Non paucos enim e vestro numero postremis hisce annis vita excessisse Nobiscum doletis, in quorum locum alios modo sufficere decrevimus.

Necessitas novos cardinales creandi ;

Quoniam vero Apostolica Nostra sollicitudo ad cunctos se porrigit diversarum gentium catholicos, quos paterna ex animo caritate complectimur ; ac summopere laetamur cum aliqua potior se Nobis offert occasio propensae in eos voluntatis argumenta exhibendi, opportunum hac vice putavimus ex diversis veteris ac novi orbis regionibus insignes quosdam Episcopos deligere, in ordinem vestrum cooptandos.

opportunitas eos assumendi ex variis regionibus catholicis :

Ac primo quidem oculos in Galliam intendimus, ubi lectissimi sacrorum Antistites incenso studio et constanti mentis proposito Apostolicae Sedi mire devincti, magnum et omni commendatione dignissimum unitatis cum Ecclesiae Capite in seipsis exemplum praeferunt ; ac fideles eorum curae concrediti innumeris poene caritatis et pietatis operibus suum in Ecclesiam amorem et immotam erga IESU CHRISTI Vicarium fidem, plures inter gravesque difficultates, splendide profiteri non cessant ; ac rei catholicae tuendae vires suas et facultates libenter impendunt. Hac igitur purpuratorum Patrum renunciatione, tum sacro eorum ordini qui Galliae ecclesiis praesunt, tum universae Gallorum genti publicum et singulare dilectionis Nostrae pignus dare constituimus, atque ea amoris et observantiæ vincula arctius

Calliis,

adstringere, quae generosam nationem cum romana Ecclesia romanoque Pontificatu coniungunt.

statibus Americae federatis,

Mentem deinceps Nostram ad se vocant foederati Americae Status et Canadensis regio. — Florens in ea confoederatione catholicae religionis conditio, quae latius se in dies explicat, novisque augetur incrementis; ipsa etiam constitutio et forma ad quam, secundum sacrorum Canonum leges, Ecclesiae illae quotidie magis sese componunt, monent quodammodo Nos ac poene flagitant ut alium aliquem ex praecipuis earumdem regionum Episcopis in Patrum Cardinalium sedes recipiamus.

Canadensi regione,

Quod ad Canadenses attinet, omnibus exploratum est, quanta animi firmitudine catholicae fidei adhaereant, quam sincero in Ecclesiam amore ferantur, quam luculenter pietatem et fidem suam erga Romanum Pontificem difficillimo tempore probarint. Qua de caussa minime dubitamus, quin unius ex Canadensibus Archiepiscopis ad tantam dignitatem evectio, in catholicae religionis decus cessura sit, bene ac feliciter vertat populo Canadensi, et eius promptam erectamque in romanam Ecclesiam voluntatem augeat atque confirmet.

Igitur hi sunt quos hodie ex variis orbis regionibus in Collegium vestrum referendos statuimus, nimirum

VICTOR FELIX BERNADOU, Archiepiscopus Senonensis et Antissiodorensis :

ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis :

BENEDICTUS MARIA LANGÉNIEUX, Archiepiscopus Rhemensis :

JACOBUS GIBBONS, Archiepiscopus Baltimorensis :

CAROLUS PHILIPPUS PLACE, Archiepiscopus Rhedonensis.

Quos omnes ardens religionis catholicae amplificandae et salutis animarum procurandae studium, singulare in hanc Apostolicam Sedem obsequium rerumque gerendarum prudentia maxime commendat.

Italia.

Nec vero Italiam praetermisimus, ex qua eodem honore augendos existimavimus AUGUSTUM THEODOLI, spectatis-

simum e clero romano urbanum antistitem, qui variis iam officiis et curationibus naviter perfunctus, domus Nostrae Pontificalis Praefecturam multa cum fide ac diligentia postremo hoc tempore gessit, et CAMILLUM MAZZELLA Societatis IESU alumnum, insigni doctrinae fama ac pari virtutis laude praeclarum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate itaque omnipotentis Dei, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

VICTOREM FELICEM BERNADOU
ALEXANDRUM TASCHEREAU
BENEDICTUM MARIAM LANGÉNIEUX
JACOBUM GIBBONS
CAROLUM PHILIPPUM PLACE

et Diaconos Cardinales:

AUGUSTUM THEODOLI
CAMILLUM MAZZELLA.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

In forma Brevis

DE S. CAMILLO DE LELLIS ET S. IOANNE DE DEO HOSPITALIUM ET INFIRMORUM PATRONIS.

22 IUNII 1886.

DIVES in misericordia Deus, divini Spiritus afflatu, sanctissimos suscitavit in Ecclesia sua viros, qui caritatis aestu flagrantes, posthabitis omnibus, nullisque periculis, neque vitae ipsius discrimine deterriti, sibi quisque peculiarem deposceret provinciam, variis diversisque humani generis necessitatibus et aerumnis opitulandi. In praeclarissimo horum virorum numero enitent confessores Christi Camillus de Lellis et Ioannes de Deo, qui, pari in proximum caritate incensi, nullis curis laboribusque parcere, vitamque ipsam in discrimen dare pro aegrotantium valetudine aeternaque eorum salute non dubitarunt; alter enim animas in extremo agone luctantium, aegris simul corporibus praestito levamento, sacri ministerii ope roborat, solatur; alter infirmis hospitium et medelas praebens aeque sempiternam animarum curat salutem. Uterque adjunctis sibi sociis, constitutisque legibus, dein ab Apostolica sede probatis, religiosam familiam suae caritatis haeredem instituit, quae ad haec usque tempora viget, et unaquaeque Auctoris sui illustria et egregia referens exempla, omni tempore ac praesertim contagiis et pestilitate saevientibus, vitae quoque sodalium sacrificio, splendida edidit caritatis testimonia. Iam vero quum inimicus homo, ingeminatis viribus, Christi sponsam insectans, religiosas regularium ordinum familias, eiusdem ornamenta et praesidia, labefactare et omnino evertere adnitatur, in Christifidelibus ac praecipue in sacrorum Antistitibus commune exarsit desiderium supplicandi, ut ambo confessores praedicti omnium valetudinariorum, et ubique degentium infirmorum coelestes Patroni Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate declarentur et renuncientur, atque in agonizantium Litaniis invocentur, ut eorum augeatur

Christiana charitate praeclari S. Camillus de Lellis et S. Ioannes de Deo;

eiusdem charitatis haeredes sodales religiosi ab ipsis instituti.

Instantes preces Pontifici oblatae ut S. Camillus et S. Ioannes hospitalium et infirmorum patroni declarentur, et in agonizantium litaniis invocentur.

cultus et aegrotantium in eorumdem patrocinio fiducia. Quae vota quum ad Consilium Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus tuendis et cognoscendis praepositorum in Nostris aedibus Vaticanis, die indicta, ut moris est, relata fuerint, idem Venerabilium Fratrum Consilium accurate perpensis omnibus, auditoque hac de re dilecto filio Praesule de Coelestium honoribus quaesitore, rescripsit « Pro gratia concessionis sanctorum Camilli de Lellis et Joannis de Deo in patronos pro omnibus hospitalibus et pro infirmis ubique degentibus, et insertionis in Litaniis agonizantium nominum Sanctorum praedictorum post nomen Santi Francisci. » Quam Venerabilium Fratrum Nostrorum sententiam Nos ratam habemus et sancimus, et Apostolica auctoritate Nostra Sanctos Camillum de Lellis et Joannem de Deo coelestes hospitalium omnium, et ubique degentium infirmorum Patronos constituimus et edicimus, itemque volumus, ut in agonizantium Litaniis, post Sancti Francisci nomen, praefatorum sanctorum nomina inserantur et invocentur. Proinde decernimus has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere iisque ad quos spectat plenissime suffragari. Contrariis licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis non obstantibus quibuscumque.

Decretum Pontificium.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII iunii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno nono.

M. Card. LEDOCHOWSKI.

CONCORDATUM

INTER S. SEDEM ET REGEM LUSITANIAE

DE REBUS GOANIS.

SUA Santità il Sommo Pontefice Leone XIII, e Sua Maestè Fedelissima il Re D. Luigi I, animati dallo zelo di favorire e promuovere un maggior sviluppo della cristianità nelle Indie Orientali, e di regolare in esse in modo stabile e definitivo il Patronato della Corona Portoghese, hanno risoluto di fare un Concordato, nominando a tale effetto due Plenipotenziarii, cioè, per parte di Sua Santità, l'Emo e Remo signor Cardinale Lodovico Iacobini suo Segretario di Stato, e per parte di Sua Maestà Fedelissima l'Eccmo signor Giovanni Battista da Silva Ferrâo de Carvalho Martens, Ambasciatore straordinario et Ministro di Stato onorario : i quali, scambiati i loro rispettivi pieni poteri e trovatili in buona e dovuta forma, convennero negli articoli seguenti : *23 IUNII 1886.*

ARTICOLO I.

In virtù delle antiche concessioni pontificie, continuerà l'esercizio del Patronato della Corona Portoghese, in conformità dei sacri canoni, nelle Chiese cattedrali delle Indie Orientali, secondo le modificazioni espresse nel presente Concordato.

ARTICOLO II.

In quanto alla Chiesa Metropolitana e Primaziale di Goa, l'Arcivescovo proseguirà ad esercitare i diritti metropolitani nelle diocesi suffraganee.

L'arcivescovo *pro tempore*, per benigna concessione di Sua Santità, sarà elevato alla dignità di Patriarca *ad honorem* delle Indie Orientali, e godrà inoltre il privilegio di presiedere ai concilii nazionali di tutte le Indie Orientali, i quali ordinariamente si aduneranno a Goa, salvo al Papa il diritto di disporre altrimenti in circostanze particolari.

ARTICOLO III.

La provincia ecclesiastica di Goa sarà composta, oltre alla Sede Metropolitana, delle tre diocesi seguenti, cioè *Damau*, col titolo anche di *Cranganor*, *Cochin*, *e S. Thomé di Meliapor*.

In foglio separato verranno indicati i limiti ed i luoghi soggetti alle tre diocesi.

ARTICOLO IV.

Nella Diocesi Metropolitana di Goa, come nelle tre diocesi suffraganee, il diritto di Patronato sarà esercitato dalla Corona Portoghese.

ARTICOLO V.

In vista dei vantaggi, che dalla ricostituzione delle stesse tre diocesi e quindi di una regolare provincia ecclesiastica, potranno derivare a quei fedeli, alcuni dei gruppi principali delle cristianità goane, indicati nello annesso allegato, non compresi nei limiti delle sumenzionate tre diocesi, saranno aggregati a queste, tenendosi ragione degli elementi materiali e morali di omogeneità,che ad esse meglio li assimilano.

Nelle missioni goane delle altre diocesi dovrà l'Ordinario affidare di preferenza la cura delle anime a sacerdoti goani o portoghesi da esso dipendenti.

ARTICOLO VI.

Il governo assume l'impegno di provvedere alla conveniente dotazione delle menzionate diocesi, dei Capitoli, del Clero e dei Seminarii, e coopererà efficacemente all'azione dei Vescovi nel fondare scuole, orfanotrofii ed altre istituzioni richieste dal bene dei fedeli e dalla evangelizzazione dei pagani.

ARTICOLO VII.

Per le quattro Diocesi di *Bombay*, *Mangalor*, *Quilon* e *Maduré*, che si erigeranno colla istituzione della gerarchia nelle Indie, i metropolitani insieme coi Vescovi suffraganei, nella vacanza delle Sedi Vescovili, come pure i suffraganei della provincia nella vacanza della Sede Arcivescovile, formeranno a loro libera scelta e communicheranno una terna all'Arcivescovo di Goa che la rimetterà alla Corona, la

quale dovrà presentare dentro sei mesi alla Santa Sede un candidato fra i tre inclusi nella terna, trascorso il qual termine, la libera scelta e devoluta alla Santa Sede. *23 IUNII 1886.*

ARTICOLO VIII.

Il Sommo Pontefice nominerà per la prima volta gli Arcivescovi ed i Vescovi delle quattro Diocesi indicate nel precedente articolo, le quali saranno fondate colla costituzione della ecclesiastica gerarchia.

ARTICOLO IX.

La cristianità di Malacca e Singapour, attualmente indipendenti dalla giurisdizione straordinaria dell'Arcivescovo di Goa, saranno soggette alla giurisdizione del Vescovo di Macao.

ARTICOLO X.

Regolato per tal guisa il Patronato della Corona, in tutto il rimanente territorio delle Indie Orientali, la S. Sede godrà piena liberta di nominare i Vescovi e di prendere le determinazioni che crederà opportune a vantaggio dei fideli.

ARTICOLO XI.

Modificate ed interpretate per tal guisa le precedenti concessioni relative al Patronato della Corona nelle Indie Orientali rimangono in vigore gli articoli 3,4, 5, 6, e l'annesso *A* del Concordato del 1857.

ARTICOLO XII.

Il presente trattato col suo anesso, che forma parte integrante di esso, sarà ratificato dalle Alte Patri Contraenti, e le ratifiche saranno scambiate in Roma dentro tre mesi dalla data delle sottoscrizioni, o prima, se sara possibile.

Roma ventitrè giugno del milleottocentottantasei.

(L. S.) L. Card. IACOBINI.

(L. S.) Giovanni Batt. DA SILVA FERRAO DE CARVALHO MARTENS.

EPISTOLA

Ad Praepositum Societatis Sancti-Sulpitii

DE CENSURIS EIDEM SOCIETATI ILLATIS.

10 IULII 1886.

TUI obsequii significationes excepimus, cum eo libello coniunctas, quem in lucem edidisti, ut ea quae adversus tuam Sodalitatem scripta sunt, eo auctore qui Darrasii ecclesiasticam historiam provehendam suscepit, dilueres, tuumque religiosum Ordinem ab illatis censuris vindicares. Grata habuimus, Dilecte Fili, tui devoti animi officia, et cum probe noscamus non modo quam praeclaram gerant de vobis opinionem illustres Galliae antistites, qui eam Nobis suis erga vos praeconiis declararunt, sed etiam quantum tribuant institutioni et operae, qua in suorum seminariorum alumnis excolendis constanter utuntur, non potuimus non moleste ferre invidiam in societatem vestram conflari, et ea in ipsam indigne proferri, quae famam eius et existimationem publice obscurent. Tu vero, Dilecte Fili, in hac doloris caussa habes cur tuum animum erigas, habes cur obtrectatorum oppugnationes contemnas, dum gravia et honestissima Sodalitati tuae bonorum iudicia suffragantur. Perge itaque cum tuis alacriter virtutis ac religionis ope, bonorum laudem mereri, ac minime dubites de paterna dilectione Nostra, quam non modo tibi tuisque sodalibus his litteris declaramus, sed reipsa praestabimus etiam, ea agentes quae decus et existimationem vestram Nobis cordi esse demonstrent. Interea tibi, Dilecte Fili, cunctisque queis praesides coelestium omnium ubertatem munerum adprecamur, ut in dies magis divinae gloriae, et Ecclesiae bono inservire valeatis, ac in eorum auspicium Apostolicam Benedictionem singulis et universis peramanter in Domino impertimus.

Molesta Pontifici invidia in Societatem conflata :

Societati solatio esse debent bonorum iudicia :

eius existimationi a Pontifice consuletur.

Datum Romae apud S. Petrum die X iulii, anno MDCCCLXXXVI, Pontificatus nostri nono.

LEO PP. XIII.

BREVE

QUO ITERUM CONFIRMANTUR SINGULA SOCIETATIS IESU PRIVILEGIA, FACULTATES ET INDULTA.

13 IULII 1886.

Religiosis familiis laudes tribuuntur.

DOLEMUS inter alia, quibus cor nostrum in tanta rerum perturbatione angitur, iniurias et damna illata religiosis Regularium Ordinum familiis, quae a sanctissimis institutae viris, magno usui et ornamento tum catholicae Ecclesiae, tum civili etiam societati commodo et utilitati sunt, quaeque omni tempore de religione ac bonis artibus, deque animarum salute optime meruerunt. Propterea Nobis est gratum, oblata occasione, laudem, quae iisdem religiosis familiis iure meritoque debetur, tribuere, et benevolentiam qua eas, uti et Praedecessores Nostri, complectimur, publice et palam testari.

Nova editio Instituti Societatis Iesu *probatur;*

Iamvero, quum noverimus pluribus abhinc annis novam inchoatam esse editionem operis, cui titulus " Institutum Societatis Iesu ", eamque a dilecto filio Antonio Maria Anderledy, Vicario generali eiusdem Societatis Iesu, assiduo studio absolvendam curari, eiusdemque operis adhuc desiderari librum, in quo Apostolicae litterae praefatae Societati, eiusque Institutori sancto Ignatio de Loyola aliisque Praepositis Generalibus datae habentur, hanc arripiendam censuimus occasionem exhibendi Nostrae erga Societatem Iesu, egregie de re catholica et civili meritam, voluntatis testimonium. Quare incoeptam operis praedicti editionem in decus utilitatemque eiusdem Societatis cessuram probamus, laudamus, eamque continuari et ad finem perduci cupimus. Utque vel magis Nostra in Societatem Iesu voluntas perspecta sit, omnes et singulas litteras Apostolicas, quae respiciunt erectionem et confirmationem Societatis Iesu, per Praedecessores Nostros Romanos Pontifices a felicis recordationis Paulo III, ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma Brevis

Societatis ipsius privilegia, immunitates, exemptiones, indulta confirmantur.

confectas, et in iis contenta atque inde sequuta quaecumque, necnon omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis Constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitates, exemptiones, indulta hisce litteris confirmamus et Apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus.

Idcirco decernimus has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et iis ad quos spectat et spectare poterit plenissime suffragari. Non obstantibus Apostolicis litteris Clementis PP. XIV, incipientibus " Dominus ac Redemptor " in forma Brevis die XXI iulii anno MDCCLXXIII expeditis, aliisque quibuscumque, licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus; quibus omnibus ac singulis ad praemissorum effectum tantum specialiter et expresse derogamus.

Sint hae litterae Nostrae testes amoris, quo iugiter prosecuti sumus et prosequimur inclytam Societatem Iesu, Praedecessoribus Nostris ac Nobis ipsis devotissimam, fecundam tum sanctimoniae tum sapientiae laude, praestantium virorum nutricem, solidae sanaeque altricem doctrinae; quae graves licet propter iustitiam persecutiones perpessa, numquam in excolenda vinea Domini alacri invictoque animo adlaborare desistit. Pergat igitur bene merita Societas Iesu, ab ipso Concilio Tridentino commendata et a Praedecessoribus Nostris praeconio laudum cumulata, pergat, in tanta hominum perversitate contra Iesu Christi Ecclesiam, suum persequi institutum ad maiorem Dei gloriam sempiternamque animarum salutem; pergat suo ministerio in sacris expeditionibus infideles et haereticos ad veritatis lucem traducere et revocare, iuventutem christianis virtutibus bonisque artibus imbuere, philosophicas ac theologicas disciplinas ad mentem Angelici Doctoris tradere. Interea dilectissimam Nobis Societatem Iesu

peramanter complectentes, Societatis eiusdem Praeposito Generali et eius Vicario singulisque alumnis Apostolicam impertimus Benedictionem. *13 IULII 1886.*

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII iulii MLCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno nono.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE STUDIIS LITTERARUM PERAGENDIS A CLERICIS SEMINARII ROMANI.

30 IULII 1886.

VALIDIS firmisque doctrinae praesidiis Cleri institutioni iuvandae, inclitus Decessor Noster fel. rec. Pius IX, Apostolicis litteris sub plumbo datis IV calendas iulii anno MDCCCLIII, sacrum Seminarium, de suo nomine Pium appellatum, delectis Clericis excipiendis ex omnibus Dioecesibus Provinciarum Pontificiae ditionis ad S. Apollinaris in Urbe excitavit, aliisque litteris sub annulo Piscatoris die III octobris eodem anno editis, rationem studiorum constituit, quae in scholis Pontificii utriusque Seminarii, Romani et Pii, in perpetuum servaretur.

Seminarium a Pio IX fundatum,

In hoc magno ac salutari opere perficiendo augustus Conditor id potissimum spectans, ut iuvenes Clerici ad pietatis graviorumque doctrinarum laudem solide accurateque informarentur, quo in Dominico agro excolendo christiani populi utilitati et bono naviter servire possent, suis Apostolicis litteris sanxit, ut qui Seminarii Pii locum peterent, ii, emensis in suis quisque Dioecesibus Rethoricae studiis, suaque in humanioribus litteris peritia legitimo experimento probata, ad peragendum in Urbe integrum Philosophiae ac Theologiae curriculum in Seminarium adlegerentur, in eoque iurisprudentiae etiam studiis ita vacarent, ut ad integrum eorum cursum explendum haudquaquam obstricti, iuris tamen Pontificii, civilis et criminalis institutionibus operam dare omnino adigerentur.

in quo Clerici Ditionis Pontificiae disciplinis philosophicis, theologicis, iuridicis imbuerentur:

Has illustris Decessoris Nostri de accurata Cleri institutione curas Nos omni studio prosequentes, ac praecipua voluntate adducti humaniorum litterarum fortunae consulendi, quas a veteri dignitate collapsas temporum conditione moleste ferebamus, eorum studiorum rationi instaurandae, et ad pristinum revocandae decus, animum adiiciendum putavimus; ac propterea, superiore anno, litteris die XX maii datis ad dilectum Filium Nostrum Lucidum Mariam S. R.

adiecta a Leone XIII litterarum magisteria,

E. Presbyterum Cardinalem Parocchi, vicaria Nostra potestate in Urbe fungentem, novas in Seminarii Romani aedibus scholas italicis, latinis et graecis litteris tradendis constituimus, opportunitatem praebentes utriusque Seminarii alumnis aliisque clericis Philosophiae, Theologiae et Iurisprudentiae cursu perfunctis, ut oblata a Nobis ope, ad penitiorem et cumulatiorem in litteraria palaestra et disciplina eruditionem ac laudem eniti atque assurgere possent. Nobiscum enim reputavimus quantopere disciplina, usus et facultas litterarum necessaria sit iis, qui pietatis ac veritatis catholicae tuendae ac propagandae munere funguntur, et quantum ornamenti ac praesidii ad doctrinae laudem accedat, ubi ea cum litterarum laude apte coniuncta reperiatur. — Magisteriis itaque litterarum, quae diximus, iam Deo favente feliciter cura Nostra constitutis, illud Nobis agendum esse intelligimus, ut quam fieri potest ad plurimos eorum utilitates ac fructus manare curemus.

obligatio alumnis imposita litteris italicis, latinis et graecis incumbendi.

Quamobrem hisce Nostris litteris, firmis atque integris permanentibus ceteris omnibus, quae ab inclito Decessore Nostro in iis, quas memoravimus, Apostolicis litteris de utroque Seminario sancita fuere, Nos decernimus ac statuimus, eos omnes qui inter alumnos Seminarii Pii cooptari cupiunt, in iis experimentis quae ab ipsis edenda sunt ad Seminarii locum obtinendum, praeter ea quae in Apostolicis Decessoris Nostri litteris decreta fuere, suam quoque peritiam in litterarum *graecarum* rudimentis probare debere; itemque decernimus ac mandamus ab utriusque Seminarii Romani et Pii alumnis, Philosophiae ac Theologiae studiis peractis, *italicarum*, *latinarum* et *graecarum* litterarum disciplinis a Nobis in Seminarii Romani sede constitutis, *in annum integrum*, omni aliorum studiorum cura intermissa, operam esse navandam, earumdemque litterarum scholas ab iis celebrari volumus *primo etiam iurisprudentiae anno*, quo sacri, civilis et criminalis iuris Institutionum Magistros audient; atque ad Nostram Nostrorumque Successorum auctoritatem revocamus de alumnis decernere si quando aliquem hac lege solvi, graves iustaeque caussae postulaverint.

Haec uti a Nobis praescripta sunt, firmiter servari iubemus, praecipimus et mandamus, decernentes has Litteras esse perpetuo valituras, contrariis non obstantibus, individua etiam et peculiari mentione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno nono.

M. Card. LEDOCHOWSKI.

CONVENTIO

INITA INTER SANCTAM SEDEM ET PRINCIPEM AMANIENSEM.

SUA Santità il sommo Pontefice Leone XIII, e Sua Altezza Nicolò I, Principe di Montenegro, per tutelare gli interessi religiosi dei cattolici del Principato, hanno risoluto di fare una Convenzione, nominando a tale effetto due Plenipotenziarii, cioè per parte di Sua Santità, l'Emo et Remo signor Cardinale Ludovico Iacobini, Suo Segretario di Stato, e per parte di Sua Altezza, il signor Cavaliere Giovanni Sundêcic, suo Segretario Particolare; i quali, scambiati i loro rispettivi pieni Poteri, e trovatili in buona e dovuta forma, convennero negli articoli seguenti : *18 AUGUSTI 1886.*

ARTICOLO I.

La Religione Cattolica Apostolica Romana avrà il suo libero e publico esercizio nel Montenegro.

ARTICOLO II.

Sua Santità, prima di nominare definitivamente l'Arcivescovo di Antivari, parteciperà al Governo la persona del Candidato, per conoscere se vi siano fatti o ragioni di ordine politico e civile in contrario.

ARTICOLO III.

L'Arcivescovo di Antivari, alla cui giurisdizione ecclesiastica apparteneranno tutti i cattolici del Montenegro, dipenderà negli affari ecclesiastici direttamente ed esclusivamente dalla Santa Sede.

ARTICOLO IV.

Prima di entrare in funzione l'Arcivescovo di Antivari presterà nelle mani di Sua Altezza il Principe del Montenegro il giuramento di fideltà nella formola seguente : — Io giuro e prometto dinnanzi a Dio e sopra i Santi Evangeli obbedienza e fedeltà a Sua Altezza il Principe del Montenegro; prometto di non avere accordo qualsiasi, nè di

assistere ad alcun consiglio, nè d'incoraggiare o lasciar partecipare dal Clero a me subordinato a qualsiasi impresa che tenda a turbare la pubblica tranquilità dello Stato.—Il Governo Montenegrino gli riconosce il titolo d'Illustrissimo Monsignore e gli assegna un emolumento annuo di *franchi cinquemila.*

ARTICOLO V.

L'Arcivescovo di Antivari avrà piena libertà nell'esercizio delle funzioni ecclesiastiche e nel regime della sua Diocesi; potrà esercitare tutti i dritti e le prerogative proprie del suo pastorale ministero, secondo la disciplina approvata dalla Chiesa: da lui dipendono tutti i membri del Clero Cattolico in ciò che riguarda l'esercizio del sacro Ministero.

ARTICOLO VI.

All'Arcivescovo di Antivari spetta, di intelligenza col Governo Montenegrino, l'erezione delle Parrocchie. A lui spetta pure la nomina dei Parrochi: e se trattasi di persone estranee al Principato, procederà d'intelligenza col Governo Montenegrino; se poi trattasi di sudditi Montenegrini darà notizia della nomina al detto Governo.

ARTICOLO VII.

Nelle Parrocchie ove non esiste un edifizio pel Culto cattolico, l'Arcivescovo si porrà d'accordo colle Autorità locali, affinchè possibilmente gliene sia assegnato uno conveniente.

ARTICOLO VIII.

L'Arcivescovo in forza del suo pastorale Ministero, dirigerà l'istruzione religiosa della gioventù cattolica in tutte le scuole, e nominerà, d'intelligenza col Governo, un Ecclesiastico o Maestro cattolico per l'istruzione religiosa dei giovani cattolici nelle scuole dello Stato, e questi avrà lo stesso stipendio degli altri Maestri. — Nelle località poi, ove la popolazione è esclusivamente o in grande maggioranza Cattolica, il Governo nelle scuole dello Stato presceglierà per Maestri individui grati all'Autorità Ecclesiastica.

ARTICOLO IX.

Il Governo riconosce la validità dei matrimonî fra Cattolici e dei matrimonî misti contratti alla presenza del Parroco Cattolico secondo le leggi della Chiesa. *18 AUGUSTI 1886.*

ARTICOLO X.

Le cause matrimoniali fra Cattolici, eccetto in ciò che riguarda gli effetti civili, saranno giudicate dall'Arcivescovo di Antivari, e nei matrimonî misti, eccetto egualmente in ciò che riguarda gli effetti civili, il Governo lascia ai Coniugi la facoltà di portare le loro cause innanzi al medesimo Arcivescovo.

ARTICOLO XI.

La formola di preghiera pel Sovrano *Domine salvum fac Principem*, sarà cantata negli Ufficî divini in lingua Slava.

ARTICOLO XII.

Per la formazione di giovani Montenegrini idonei al Sacerdozio cattolico, il Governo Montenegrino di comune accordo coll'Arcivescovo di Antivari, ne scegliera alcuni dei più meritevoli che saranno inviati a Roma per farvi i loro studî, ai quali passerà pel medesimo scopo un conveniente annuo sussidio.

Nei primi cinque anni, dalla data della presente Convenzione, questi giovani saranno in numero di due per ogni anno, in seguito sarà uno solo per ciascum anno. Gli stessi giovani saranno obligati di studiare in Roma anche la lingua serba.

ARTICOLO XIII.

Se nell'avvenire sorgerà qualche difficoltà sulla interpretazione dei precedenti articoli, il Santo Padre e Sua Altezza il Principe del Montenegro, di comune intelligenza, procederanno ad un'amichevole soluzione.

ARTICOLO XIV.

La presente Convenzione entrerà in vigore immediatamente dopo la ratifica di Sua Santità il Sommo Pontefice Leone XIII e di Sua Altezza il Principe di Montenegro Nicolò I.

Roma, li 18 agosto 1886.

L. Card. IACOBINI. = GIOVANNI SUNDECIC.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Episcopos Hungariae

DE ECCLESIAE HUNGARICAE NECESSITATIBUS.

22 AUGUSTI 1886.

QUOD multum diuque optabamus, ut litteris Nostris opportune liceret affari Vos, quemadmodum Episcopos ex aliis gentibus nonnullis affati sumus, eo videlicet proposito ut vobiscum consilia Nostra de rebus communicaremus, quae ad prosperitatem christiani nominis salutemque Hungarorum pertinere viderentur, id Nobis est per hos ipsos dies optima opportunitate datum, cum liberatam duobus ante saeculis Budam memori laetitia Hungaria concelebret. — In domesticis Hungarorum laudibus haec quidem futura est ad perennitatem insignis, maioribus vestris contigisse ut civitatem principem, quam saeculi unius dimidiatique spatio hostes insederant, virtute et constantia recuperarent. Cuius divini beneficii ut et recordatio maneret et gratia, merito Innocentius XI P. M. decrevit, ut postridie calendas septembris, quo die tanta gesta res est, sacra solemnia in honorem sancti Stephani, primi ex Regibus vestris Apostolicis, toto orbe christiano agerentur. Iamvero satis est cognitum, suas Apostolicae Sedi, nec sane postremas, fuisse partes in hoc, de quo loquimur, maximo faustissimoque eventu, qui velut sponte consecutus est ex nobilissima, tribus ante annis, de eodem hoste ad Vindobonam victoria : quae sane magna ex parte apostolicis Innocentii curis iure tribuitur, et qua parta debilitari Mahometanorum opes in Europa coeptae sunt. — Verumtamen et ante illam aetatem in similibus saepe temporibus Decessores Nostri augendas Hungariae vires curaverunt consilio, auxiliis, pecunia, foederibus. A Callisto III ad Innocentium XI plures numerantur Pontifices romani, quorum nomen honoris caussa hoc in genere appellari oportet. Unus sit instar omnium Clemens VIII cui cum Strigonium et Vincestgraz e Turcarum essent dominatu

Epistolae scribendae opportuna occasio.

Romanorum Pontificum constans in Hungaros sollicitudo ;

vindicata, summa regni Consilia decrevere ut grates publice agerentur, quod derelictis ac prope desperatis rebus suis, ille unus opportune et prolixe opitulatus esset. — Itaque sicut Apostolica Sedes Hungarorum generi nunquam defuit, quoties ipsis esset cum hostibus religionis morumque christianorum depugnandum, ita nunc, quando auspicatissimae memoriae permovet animos recordatio, vobiscum libens coniungitur iustae communione laetitiae : habitaque dissimilium temporum ratione, hoc volumus, hoc agimus unice, confirmare in professione catholica multitudinem, pariterque conferre, quoad possumus, operam ad communia pericula propulsanda : quo ipso assequemur, ut a Nobis saluti publicae serviatur.

beneficia Hungariae populis et principibus e christiana religione projecta.

Ipsa testis est Hungaria, munus a Deo nullum posse vel hominibus singulis vel civitatibus dari maius quam ut eius beneficio et accipiant catholicam veritatem et acceptam cum perseverantia retineant. In eiusmodi munere per se maximo inest aliorum bonorum cumulata complexio, quorum ope non solum homines singuli sempiternam in coelis felicitatem, sed civitates ipsae magnitudinem veri nominis prosperitatemque adipisci queant. Quod cum princeps Regum Apostolicorum plane intellexisset, nihil a Deo consuevit vehementius contendere, nihil in omni vita aut laboriosius curavit aut constantius egit, quam ut fidem catholicam toti regno inferret, ac stabilibus fundamentis vel ab initio constitueret. Igitur maturrime coepit inter romanos Pontifices et reges populumque Hungariae illa studiorum officiorumque vicissitudo, quam consequens aetas nulla sustulit. Statuit fundavitque Stephanus regnum, sed regium diadema non nisi a romano Pontifice accepit ; consecratus auctoritate pontificia rex est, sed regnum suum Apostolicae Sedi oblatum voluit ; Episcopales sedes non paucas munifice condidit, complura pie instituit, sed hisce meritis comitata vicissim est summa Apostolicae Sedis benignitas, et indulgentia multis in rebus omnino singularis. A fide, a pietate sua hausit rex sanctissimus consilii lumen, optimasque gubernandae reipublicae normas : neque alia re nisi assiduitate precandi fortitudinem animi adeptus est eam, qua vel nefa-

rias perduellium coniurationes opprimeret, vel oblatos hostium impetus victor refutaret. — Ita, religione auspice, nata civitas vestra : eademque custode et duce, non ad maturitatem solum, sed ad firmitudinem imperii gloriamque nominis pleno gradu pervenistis. Fidem a rege ac parente suo, velut haereditate acceptam, sancte inviolateque Hungaria servavit, idque vel in summis temporum difficultatibus, cum populos finitimos a materno Ecclesiae sinu perniciosus error abduxit. Pariter cum fide catholica obsequium et pietas erga Petri Sedem in Rege Apostolico, in Episcopis, in populo universo constans permansit : vicissimque romanorum Pontificum propensam in Hungaros voluntatem paternamque benevolentiam videmus perpetuis testimoniis confirmatam. Hodieque, tot et saeculorum et casuum decurso spatio, manent, Dei beneficio, necessitudines pristinae ; et illae maiorum vestrorum virtutes haudquaquam extinctae sunt in posteris. Illa certe laudabilia, in Episcopalibus officiis consumpti nec sine fructu labores : calamitatum quaesita solatia : tuendis Ecclesiae iuribus collatum studium : conservandae fidei catholicae constans et animosa voluntas.

Maior hodie quam ullo quovis tempore religionis necessitas ad publicam tranquillitatem,

Haec quidem reputans, iucundo laetitiae sensu movetur animus ; Vobisque, Venerabiles Fratres, et populo Hungarico meritam recte factis laudem libentes persolvimus. — Sed silere tamen non possumus, quod latet sane neminem, quam sint passim infensa virtuti tempora, quot oppugnetur Ecclesia artibus, quam in tot periculis metuendum, ne fides labefacta ibi etiam languescat, ubi maxime firma et altissimis est defixa radicibus. Satis est meminisse funestissimum illud malorum principium, *rationalismi* et *naturalismi* placita in omnes partes libere disseminata. Accedunt innumerabiles corruptelarum illecebrae : potestatis publicae saepe ab Ecclesia aut aversa voluntas aut aperta defectio ; sectarum clandestinarum pervicax audacia ; iuventutis nullo ad Deum respectu instituendae inita passim ratio. — Atqui si unquam alias, profecto hoc tempore videre omninoque sentire homines oporteret quanta sit religionis catholicae ad tranquillitatem salutemque publicam non opportunitas so-

lum, sed plane necessitas. Quotidianis enim experimentis constat, quo tandem respublicas impellere moliantur ii qui nullius vereri auctoritatem, nec frenos cupiditatum suarum ullos perferre assueverunt. Scilicet quid spectent, quibus nitantur artibus, qua pertinacia contendant, nemini iam obscurum esse potest. Imperia maxima, respublicae florentissimae dimicare prope in singulas horas cogantur cum eiusmodi hominum gregibus, consiliorum societate et agendorum similitudine invicem coniunctis, unde periculum aliquod securitati publicae semper impendet. Contra tantam rerum malarum audaciam saluberrimo consilio alicubi perfectum est, ut auctoritas magistratuum et vis armaretur legum. Verumtamen ad prohibendos *socialismi* terrores una est ratio optima maximeque efficax, qua sublata, parum ad deterrendum valet poenarum metus, quae in eo consistit ut ad religionem penitus informentur cives, verecundiaque et amore Ecclesiae teneantur. Est enim religionis sanctissima custos, et innocentiae morum omniumque virtutum, quae a religione sponte proficiscuntur, parens educatrixque Ecclesia. Quicumque religiose integreque praecepta sequuntur Evangelii, hoc ipso longe a *socialismi* suspicione abesse necesse est. Iubet enim religio, uti Deum colere ac metuere, ita subesse atque obtemperare potestati legitimae ; vetat quippiam seditiose facere: vult salvas suas cuique res, salva iura : qui maiores opes habent, eos inopi multitudini benigne subvenire. Egenos prosequitur omni caritatis numero, calamitosos suavissima consolatione perfundit, spe proposita bonorum maximorum et immortalium, quae tanto futura sunt ampliora, quanto aut gravius homo laboraverit aut diutius. — Quamobrem qui civitatibus praesunt, nihil sunt aut sapientius aut opportunius acturi, quam si religionem siverint, nulla re impediente, influere in animos multitudinis, eosque ad honestatem integritatemque morum praeceptis suis revocare. Ecclesiae diffidere, eamve suspectam habere, primum est aperte iniustum, deinde, praeter inimicos disciplinae civilis cupidosque rerum evertendarum, prodest nemini.

Ingentes motus civicos, turbasque formidolosas, quibus

22 AUGUSTI 1886.

latius grassante socialismi peste :

igitur qui bene consulere volunt societati, sinant Ecclesiam plena sua libertate influere in animos multitudinis.

est alibi civitatum tremefacta quies, Hungaria quidem, Dei beneficio, non vidit. Sed instantia pericula Nos pariter ac Vos, Venerabiles Fratres, omnino iubent attendere animum ad cavendum, et maiore in dies studio eniti, ut istic floreat vigeatque religionis nomen, suusque institutis christianis honos permaneat.— Hac de caussa illud in primis optandum, ut Ecclesia toto regno Hungarico plena atque integra libertate fruatur, quali fruebatur alias, nec nisi ad communem utilitatem uti consuevit. Nobis profecto maxime est in votis, ut ea e legibus tollantur, quae cum iuribus Ecclesiae discrepant, et eius facultatem agendi minuunt, et professioni catholici nominis officiunt. Id ut impetretur, Nobis Vobisque, quoad per leges licet, constanter elaborandum, quemadmodum tot iam clari viri hoc eodem proposito elaboraverunt. Interea quamdiu sunt illa, de quibus loquimur, legum iussa mansura, vestrum est conari ut saluti quam minime noceant, admonitis diligenter civibus, quae sua sint in hoc genere officia singulorum. Aliquot indicabimus capita, quae perniciosiora ceteris videntur esse.

Optandum ut regni Hungarici leges a iuribus Ecclesiae discrepantes, tollantur; interea enitendum ut quam minime noceant.

Professio fidei christianae.

Sic, veram amplecti religionem maximum officium est, quod nulla hominum aetate potest esse circumscriptum. *Nulla Dei regno infirma aetas.* Ut illud quisque novit, ita debet sine ulla cunctatione efficere: ex efficiendi autem voluntate ius unicuique sanctissimum gignitur, quod violari sine summa iniuria non potest. Simili de caussa, eorum, qui curam gerant animarum, verissimum itemque permagnum officium est in Ecclesiam cooptare, quotquot matura ad iudicandum aetate, ut cooptentur, petant. Quamobrem si animarum curatores alterutrum malle cogantur, necesse est eos humanarum legum severitatem potius subire, quam vindicis Dei iram lacessere.

Matrimonium christianum.

Ad societatem coniugalem quod attinet, date operam, Venerabiles Fratres, ut alte descendat in animos doctrina catholica de sanctitate, unitate, perpetuitate matrimonii: ut saepe in memoriam populi revocetur, coniugia christianorum soli potestati ecclesiasticae, suapte natura, subesse: quid Ecclesia sentiat et doceat de eo quod *matrimonium civile* vocant: qua mente, quo animo catholicos homines istius-

modi parere legi oporteat: non licere catholicis, idque maximis de caussis, nuptias cum christianis coniungere a professione catholica alienis; quique id facere, non ex auctoritate indulgentiaque Ecclesiae, ausi sint, eos in Deum, in Ecclesiam ipsam peccare. Cumque haec res tanti sit, quanti videtis esse, universi, ad quos ea cura spectat, quantum possunt, diligentissime provideant ut ab eiusmodi praeceptis nemo ulla ratione discedat. Eo vel magis quod, si alia in re, certe in hac, de qua dicimus, obtemperatio Ecclesiae cum salute reipublicae necessariis quibusdam est nexa et iugata vinclis. Etenim principia, ac velut elementa optima vitae civilis societas domestica nutricatur et continet: proptereaque hinc pendet magnam partem pacatus et prosperus civitatis status. Atqui talis domestica societas est, qualis exitu matrimoniorum efficitur: nec bene evenire matrimonia queunt, nisi Deo moderante et Ecclesia. His demotum conditionibus maritale coniugium, in servitutem redactum variarum libidinum, contra Dei voluntatem initum, itaque adiumentis despoliatum coelestibus iisque pernecessariis, sublata etiam communione vitae in eo, quod hominum interest maxime, id est in religione, fructus acerbissimos gignat necesse est, ad extremam familiarum civitatumque perniciem. Quamobrem bene, nec solum de religione, sed etiam de patria meruisse iudicandi sunt catholici viri, qui abhinc duobus annis cum Coetus legumlatorum Hungariae rogarentur, vellent iuberent rata esse christianorum cum hebraeis matrimonia, eam rogationem concordibus animis et libera voce repudiarunt, et ut antiqua lex de coniugiis probaretur, pervicerunt. Quorum suffragiis ex omnibus Hungariae partibus comitata est assentiens voluntas plurimorum, idem se et sentire et probare luculentis testimoniis confirmantium. Similis consensus et par animi constantia adhibeatur, quotiescumque pro re catholica dimicatio sit: iam erit consecutura victoria: minimum, experrectior et fructuosior futura vitae actio, pulso languore excussaque desidia, qua christiani nominis inimici omnem catholicorum virtutem utique consopiri vellent.

22 AUGUSTI 1886.

Nec minor manabit in civitate utilitas, si recte ac sapienter

Scholae publicae.

instituendae iuventuti vel a primis puerorum aetatulis consulatur. Is est temporum morumque cursus, ut nimis multi nimioque opere contendant vigilantia Ecclesiae saluberrimaque religionis virtute prohibere deditam litteris adolescentiam. Adamantur atque expetuntur passim scholae, quas appellant *neutras, mixtas, laicales*, eo nimirum consilio ut alumni in summa sanctissimarum rerum ignoratione nullaque religionis cura adolescant. Eiusmodi malum quia et latius et maius est, quam remedia, propagari sobolem videmus bonorum animi incuriosam, religionis expertem, persaepe impiam. Tantam calamitatem ab Hungaria vestra, Venerabiles Fratres, omni, quo potestis, studio et contentione defendite. Adolescentes vel a pueritia ad christianos mores christianamque sapientiam informari, non modo Ecclesiae, sed etiam reipublicae hodie tanti interest, ut pluris interesse non possit. Id iam plane intelligunt, quicumque recte sapiant: propptereaque catholicos homines multis locis magno numero videmus de fingendis probe pueris vehementer sollicitos, in eaque re praecipuam et constantem operam, nec sumptuum nec laborum magnitudine deterritos, collocare. Non absimili proposito multos quoque ex Hungaria novimus idem eniti et efficere : nihilominus sinite, Venerabiles Fratres, ut episcopale studium vestrum magis magisque incitemus.— Nos profecto, rei gravitate perspecta, cupere et velle debemus, ut in publica adolescentium institutione integrum Ecclesiae sit eas explere partes, quae sibi sunt divinitus datae : nec facere possumus quin Vos flagitemus, ut operam vestram huc studiose conferatis. Interea pergite etiam atque etiam patresfamilias monere, ne a liberis suis eos celebrari patiantur discendi ludos, unde fidei christianae iactura metuatur : simulque efficite, ut scholae suppetant sanitate institutionis et magistrorum probitate commendabiles, quae auctoritate vestra et Cleri vigilantia gubernentur. Quod non solum de scholis primordiorum, sed etiam de litterarum maiorumque disciplinarum intelligi volumus. Pia veterum liberalitate, maximeque regum et episcoporum vestrorum munificentia, domicilia scientiis litterarum tradendis plura et nobilia constituta sunt. Floret apud vos memoria et praedicatione

gratae posteritatis Cardinalis Pazmány Archiepiscopus Strigoniensis, qui magnum Lyceum catholicum Budapesthinum et condidit et censu amplissimo ditavit. Iamvero pulcrum est recordari, tantae molis opus effectum ab eo *pura et sincera intentione religionis catholicae promovendae ;* idemque a rege Ferdinando II confirmatum, *ut religionis catholicae veritas, ubi vigebat, inconcussa persisteret, ubi labefactata fuerat, repararetur, cultus divinus ubique propagaretur.* Perspectum Nobis est, quam strenue constanterque curavistis ut istae studiorum optimorum sedes, nihil mutata natura pristina, tales esse perseverent, quales ipsarum auctores esse voluerunt, hoc est *Instituta catholica*, quorum res familiaris, administratio, magisterium in potestate Ecclesiae et Episcoporum permanerent. Quam ad rem Vos magnopere hortamur nullam praetermittere opportunitatem, omniaque periclitari, ut honestum ac nobile propositum omni ex parte consequamini. Consecuturi autem estis, spectata Regis Apostolici eximia pietate, prudentiaque virorum qui reipublicae praesunt : neque enim verisimile est passuros, ut, quod dissentientibus a catholico nomine communitatibus concessum est, id Ecclesiae catholicae denegetur. — Quod si ratio temporum postulabit, ut in hoc genere aut quaedam instituantur nova, aut instituta augeantur, minime dubitamus quin patrum exempla renovare, religionemque imitari velitis. Immo allatum Nobis est, cogitationem iam Vobis esse susceptam de opportuna palaestra formandis magistris optimis. Saluberrimum consilium, si quod aliud, dignum sapientia et virtute vestra : quod ut celeriter, Deo adiuvante, perficiatis, Nos profecto et cupimus et hortamur.

22 AUGUSTI 1886.

Sacra seminaria.

Verum ad salutem publicam si tantopere pertinet institutio adolescentium in universum, multo pertinet magis eorum, qui sacris initiari volunt. Ad hoc quidem debetis, Venerabiles Fratres, nominatim attendere, in hoc maximam partem vigiliarum laborumque vestrorum consumere : sunt enim adolescentes clerici spes et velut inchoata forma sacerdotum : in sacerdotibus vero quantopere nitatur decus Ecclesiae, et ipsa populorum aeterna salus, vos plane cogno-

scitis. — Omnino in instituendis clericis sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Ad eas humanitatis artes, quibus adolescens aetas informari solet, adiungendae disciplinae sacrae et canonicae, cauto ut earum doctrina rerum sana sit, usquequaque incorrupta, cum Ecclesiae documentis penitus consentiens, hisque maxime temporibus, vi et ubertate praestans, *ut potens sit exhortari... et eos, qui contradicunt, arguere.* — Vitae sanctitas, qua dempta, inflat scientia, non aedificat, complectitur non solum probos honestosque mores, sed eum quoque virtutum sacerdotalium chorum, unde illa existit, quae efficit sacerdotes bonos, similitudo IESU CHRISTI summi et aeterni Sacerdotis. Huc sane spectant sacra Seminaria: Vosque, Venerabiles Fratres, non pauca habetis tum pueris ad clericatum praeparandis, tum clericis instituendis praeclare fundata. In iis maxime evigilent curae et cogitationes vestrae: efficite, ut litteris disciplinisque trandendis lecti viri praeficiantur, in quibus doctrinae sanitas cum innocentia morum coniuncta sit, ut in re tanti momenti eis confidere iure optimo possitis. Rectores disciplinae, magistros pietatis eligite prudentia, consilio, rerum usu prae ceteris commendatos: communisque vitae ratio, auctoritate vestra, sic temperetur, ut non modo nihil unquam alumni offendant pietati contrarium, sed abundent adiumentis omnibus, quibus alitur pietas; aptisque exercitationibus incitentur ad sacerdotalium virtutum quotidianos progressus. Ex industria diligentiaque in instituendis sacerdotibus posita fructus percipietis summopere optabiles, munusque vestrum episcopale multo sentietis esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius.

Sacerdotum disciplina.

Sed ultra tendant paternae curae vestrae necesse est, scilicet ut presbyteros in ipsa munerum sacrorum perfunctione comitentur. Sollerter et suaviter, uti vestram decet caritatem, videte ne profanos spiritus unquam sumant, ne utilitatum suarum cupiditate, vel negotiorum saecularium cura ducantur: immo virtute et recte factis in exemplum excellant, de studio precandi nihil unquam remittendo, ad mysteria sanctissima caste adeundo. His erecti ac roborati

praesidiis, quotidianos sacrorum munerum labores ultro deposcent, studioseque, ut par est, in excolendis populorum animis versabuntur, maxime ministerio verbi et sacramentorum usu. — Eorum vero redintegrandis animi viribus quas continenter vigere infirmitas humana non patitur, nihil propemodum videtur aptius, quam quod est alibi in more positum, idque magno cum fructu, ut secedant identidem ad statas animi meditationes, Deo sibique unice per id tempus vacaturi. Vobis autem, Venerabiles Fratres,in obeundis pro potestate Diocesibus,sponte et percommoda sese dabit occasio cognoscendi ingenium et mores singulorum, pariterque videndi in re praesenti,qua potissimum ratione aut prohibere, aut sanare, si qua insederint, mala necesse sit. Atque ob eam caussam, ne vis ecclesiasticae disciplinae frangatur, adhibenda, ubi opus esse videbitur, ad sacrorum canonum normas iusta severitas : omnesque intelligant, cum sacerdotia, tum varios dignitatum gradus non esse nisi utilium curarum praemium oportere, proptereaque iis reservari, qui Ecclesiae servierint, qui in curanda animorum salute desudaverint, qui vitae integritate doctrinaque praestare iudicentur.

22 AUGUSTI 1886.

Fidelis populi cura quoad fidem et mores.

His ornato virtutibus Clero, non exiguam partem consultum erit et populo : qui, ut est amans Ecclesiae et religionis avitae perstudiosus, facile ac libenter sacrorum administris se dabit excolendum. — Sed tamen nulla Vobis praetermittenda earum rerum est, quae ad integritatem doctrinae catholicae in multitudine servandam, disciplinamque Evangelicam factis, vita, moribus retinendam valere videantur. Date operam ut frequenter sacrae expeditiones in culturam animorum suscipiantur : eisque praeficite viros probatae virtutis, IESU CHRISTI spiritu animatos, caritate proximorum incensos. — Opinionum vel cavendis vel evellendis erroribus, late in vulgus disseminentur salubriter scripta, quae cum rerum veritate congruant, et ad virtutem conducant. Hoc quidem tam laudabili frugiferoque proposito aliquot iam societates scimus coaluisse, nec frustra operam consumere. Eas igitur et augeri numero et maiore in dies fructuum copia florere valde cupimus.—Illud etiam volumus excitari a Vobis universos, sed maxime qui doctrina, qui

censu, qui dignitate, qui potentia ceteris antecellunt, ut in omni vita, tam privatim quam publice, impensius curent religionis nomen, Ecclesiae caussam, ductu auspicioque vestro, fortius agant, et quaecumque rei catholicae provehendae instituta sunt vel instituentur, adiuvare, amplificare ne recusent. — Similiter resistere necesse est fallacibus quibusdam opinionibus, ad tuendum suum cuiusque decus praepostere excogitatis, quae fidei morumque christianorum praeceptis prorsus repugnant, et multis perniciose flagitioseque factis aditum patefaciunt. — Demum necessaria contentio est assidua et vehemens adversus non honestas consociationes : quarum est antevertenda contagio rationibus omnibus, iis nominatim, quas litterae Nostrae Encyclicae alias indicavere. De qua re tanto a Vobis maiorem curam adhiberi volumus, quanto plus istic numero, opibus, potestate valent eius generis societates.

Haec habuimus, Venerabiles Fratres, quae Vobis, urgente propositum caritate, perscriberemus : quae toti Hungarorum genti prompta ad parendum voluntate acceptum iri confidimus. — Ut patres vestri de hoste teterrimo magnifice ad Budam triumpharent, non bellica tantum fortitudine perfectum est, sed virtute religionis : quae quidem vobis, quemadmodum vim magnamque imperii auctoritatem initio peperit, ita domi prosperitatem, foris gloriam in posterum pollicetur. Ista quidem vel ornamenta vel commoda evenire vobis cupimus, itemque precamur, opitulante magna Virgine Matre Dei, cui regnum Hungaricum consecratum est, a qua nomen etiam invenit : eademque de caussa opem suppliciter imploramus sancti Stephani, qui rempublicam vestram, omni a se beneficiorum genere ornatam et auctam, volens propitius, uti certa spes est, respiciet e coelis, firmissimoque patrocinio tuebitur.

Hac igitur spe freti, Vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro universo, auspicem coelestium munerum et paternae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII augusti anno MDCCCLXXXVI Pontificatus Nostri nono.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS HIERARCHIA EPISCOPALIS

IN INDIIS ORIENTALIBUS INSTITUITUR.

HUMANAE salutis auctor IESUS CHRISTUS, cum nos sanguine suo de servitute redemisset, et in coelos ad Patrem proxime esset rediturus, iis, quos Apostolos nominavit, alumnis disciplinae suae, et testibus rerum quas ipse fecerat et docuerat, imbuendum coelesti doctrina mundum commisit. Sanari enim oportebat, consilio gratiaque Dei, omnes homines : nec sanari nisi oblato veritatis lumine potuissent. Illi itaque nobilissimi muneris memores, accepta Spiritus Sancti virtute, in varias orbis partes magno animo abeunt, Evangelii sapientiam quacumque nuntiant, longius etiam progressi, quam quo arma domitoris terrarum populi penetrarant : ita ut vel ab Ecclesiae primordiis verissimum illud extiterit, *in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.*

I Septembris 1886.

Fides christiana apud Indos a S. Thoma primum praedicata,

Apostolici muneris obeundi officium in latissimis Indiae regionibus Thomae obtigisse, memoriae proditum est. Hic sane, uti vetera litterarum monumenta testantur, Christo in coelos recepto, cum in Aethiopiam, Persidem, Hircaniam, ac demum in peninsulam ultra Indum migrasset, difficillima peregrinatione suscepta, gravissimisque exantlatis laboribus, primus eas gentes christianae veritatis luce collustravit redditoque summo animarum Pastori sanguinis sui testimonio, ad sempiterna in coelis praemia evocatus est.

novisque aliorum curis excitata,

Exinde Apostolum praeclare de ea regione meritum colere India non omnino intermisit : in vetustissimis libris liturgicarum precum aliisque illarum ecclesiarum monumentis Thomae nomen et laudes celebrari consueverunt, atque insequentibus saeculis, post ipsam errorum luctuosam propagationem, nequaquam est eius deleta memoria ; itemque fides, quam ille disseminarat, tametsi intermortua iacuit, non tamen extincta funditus esse visa est. Quare novis virorum

apostolicorum excitata curis, latius manavit, egregiisque florens virtutum exemplis, et martyrum educta sanguine, gentes illas ab immiti feritate revocatas sensim ad humanitatem excoluit. Hac vero aetate christianum nomen tanta apud Indos prosperitate vulgatum est, ut Ecclesiae filii per universam peninsulam ad sedecim centena millia feliciter creverint : sacerdotes magno in honore habentur, catholica doctrina in scholis summa cum libertate traditur, iamque certa spes affulget copiosiores ex ea gente manipulos ad IESUM CHRISTUM accessuros. Itaque decrevimus firmiore ordine et modo rem Indorum catholicam constituere : ea enim, quantumvis magnum et constans Decessorum Nostrorum extiterit studium, nondum illam adepta est constitutionem ordinatam et stabilem, cuius tanta vis est ad tutandam vitae christianae disciplinam, salutemque populis pariendam.

adeo hisce temporibus dilatata est ut opportunum videatur ordinariam Pastorum hierarchiam ibidem stabilire.

Ut aliquid de praeteritorum temporum memoria perbreviter attingamus, inito iam saeculo XVI, antiquam fidem velut ab interitu vindicare conati sunt nobiles ex Franciscana et Dominiciana familia alumni : qui, auctoritate missuque romanorum Pontificum, ad Indias transgressi, plurimum operae in sanandis haereticorum opinionibus, abolendaque ethnicorum superstitione posuerunt. Ubi vero expeditior per promontorium Bonae Spei patuit Europae gentibus ad oras Indicas transitus, una cum virorum apostolicorum adcursu salutares crevere fructus. Singularem laudem eo tempore consecuta est Societas Iesu : in primisque ad miraculum excelluit magnus Indiarum apostolus Franciscus Xaverius, qui incredibiles labores perpessus, et maximis periculis terra marique excelso animo superatis, Crucem sacrosanctam iis regionibus quasi triumphator intulit, et ingentem hominum multitudinem nedum in ora Malabarica, sed et in Coromandelica et in Ceylanensi insula, immo et in remotioribus provinciis usque ad Iaponios, multiplici superstitione sublata, ad IESUM CHRISTUM adiunxit.

Labores missionariorum e Dominiciana et Franciscana familia ;

S. Francisci Xaverii et alumnorum S. J.

Ad tantam christiani nominis propagationem, praeter laboriosas Missionariorum curas plurimum valuit illustrium Portugalliae et Algarbiorum regum opera : quibus merito

Egregia merita Regum Portugalliae.

I SEPTEMBRIS 1886.

contigit, ut ab hac Apostolica Sede perhonorifice collaudarentur, quod *eorum ministerio tam lata orbis terrae pars antea ignota Europae innotuisset: maxime vero quod Ecclesiae Dei per agnitionem christianae veritatis aggregaretur* (1).

In provinciis vero, quas vel in ora Malabarica vel in Coromandelica Lusitani obtinuerant, cum latius fides catholica manavisset, praecipua Pontificum maximorum cura fuit, sacerdotes ad sacra officia iis in regionibus obeunda undique advocare, aliaque sapienter et utiliter, praesertim quod ad christianorum regimen pertineret, constituere. Aucta vero Lusitanarum possessionum amplitudine, novae Dioeceses in iisdem coloniis constitutae sunt. In iis eminet Goana, quam Paulus IV archiepiscopalis throni honore et iuribus auxit: accedit vero Cochinensis et Cranganorensis: item in ora Coromandelica Meliaporensis, quam in urbe Sancti Thomae Paulus V instituit. Portugalliae vero atque Algarbiorum regibus, quod rei catholicae incrementis profuissent, nominatimque Dioeceses, quae commemoratae sunt, aere suo munifice dotassent, romani Pontifices grati animi caussa, ius patronatus in novensiles episcopales Sedes concessere. Quae quidem cum in veteris ac recentis christianorum societatis utilitatem provide decernerent, spe erigebantur, brevi futurum ut extremi Orientis gentibus lux Evangelii longe lateque affulgeret, quaeque ex illa sequuntur beneficia, tamquam abundantissimus amnis, in ipsam civilem societatem influerent. — Sed prospere coeptorum cursum fortuna retardavit. Coortis enim bellorum aliorumque casuum procellis, magna clades Ecclesiae apud Indos succrescenti imminere videbatur. Itaque ne Evangelii interciperetur propagatio, neu in tot hominum millibus sempiterna animorum salus periclitaretur, romani Pontifices ad regna illa amplissima, praesertim quae Lusitanis coloniis nequaquam continebantur, providentiam suam transtulerunt, summaque cura studuerunt, quanto plures ex ingenti illa multitudine possent, ad instituta christiana traducere,

Constitutae variae dioeceses.

Ecclesiae pericula et clades.

1. Leo X, *Summam Nobis laetitiam*, 1513.

item munire adiumentis iis quae ad excolendos animos pertinent, et haeretica pravitate depulsa, in sancta religione retinere.

Evangelici operarii a S. C. de Propaganda Fide missi.

Quo autem cura difficilior ob immensa locorum intervalla, regionum latitudinem, incommoda itinerum, eo accuratius vel evangelicis operariis deligendis vel Missionum regimini ordinando operam dare magna cum libertate consueverunt. Saeculo XVII et XVIII, praesertim opera virorum religiosorum, quos sacra Congregatio christiano nomini propagando ad Indos miserat, plures christianorum communitates coaluere ; linguae earum gentium variae per Missionarios perceptae ; libri vernaculo populi sermone conscripti ; plurimorum animi spiritu catholicae institutionis imbuti atque in spem coelestium erecti. — Quibus in rebus nobilitati sunt labores sodalium Carmelitidum, Capulatorum, Barnabitidum, Oratorianorum, qui quidem in iis gentibus ad christiana instituta erudiendis non eodem omnes tempore, sed idem studium collocavere constantiamque parem.

Pontificum sollicitudo in quavis superstitione evellenda

Gubernandis interea fidelibus moderandisque sacrorum operariorum expeditionibus, idoneo antistitum regimine constituto, provisum est.— Decessores autem Nostri singulari studio in id in primis animum intendebant, ut apostolici viri doctrinam christianam India tota sancte inviolateque servarent, nec ullo unquam ethnicarum superstitionum vestigio inquinari paterentur. Revera nemo ignorat quam vigilanter incubuerint ad evellenda radicitus vanarum observationum rituumque a fide christiana abhorrentium zizania ab inimico homine disseminata in novellis iis ecclesiae germinibus, quae praesertim in regnis Madurae, Mayssourii et Carnatici adoleverant : item quam provide studuerint, quaestiones omnes inter regionum illarum Missionarios in re gravissima excitatas pontificia auctoritate dirimere. De quibus, ut Clemens XI apprime cognosceret, Carolum Thomam Tournonium Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati a latere in Indiis orientalibus Commissarium ac Visitatorem Apostolicum anno MDCCI destinavit. Sapientibus Tournonii decretis Clemens XI auctoritatis suae robur adiecit, eisdemque Innocentius XIII, Benedi-

ctus XIII, et Clemens XII, ut quam diligentissime obtemperaretur, graviter sanxerunt. Benedictus vero XIV, edita Constitutione *Omnium sollicitudinum* (1), amotis dubitationum caussis additisque opportunis declarationibus, controversiam dimidio fere saeculo acriter agitatam sustulit.

I SEPTEMBRIS 1886.

Aliquanto serius, cum de Indiarum bono romani Pontifices plura cogitarent, tranquillitas Ecclesiae per Europam turbulentis est afflicta temporibus : quae tempora vel apud Indos christianae fidei incrementum prohibuere. Praeterea in provinciis peninsulae australibus plaga gravis accessit, auctore tyranno Tipou Sahib, qui catholicum nomen multimodis vexavit. — Quamvis vero post id tempus apostolici viri pro nomine christiano multum et utiliter elaboraverint, tamen Gregorius XVI rem omnem animo et cogitatione complexus, intellexit et declaravit *regiones illas necessario requirere ut Apostolica Sedes, mutatis temporum adiunctis, religioni in iis periclitanti succurreret, et ecclesiastici regiminis formam ea ratione moderaretur, quae obtinendae fidei incolumitati par esset* (2). Statimque ad rem aggressus, non pauca constituit christianis ex India hominibus salutaria, amplificandaeque per eos tractus religioni valde opportuna.

Mutatis rerum circumstantiis Gregorius PP. XVI formam ecclesiastici regiminis moderatur;

dissidium inde exortam;

Verumtamen Apostolicae Sedis curas, utique communis salutis gratia susceptas, multis longe secus interpretantibus, cum funestum illud dissidium deflagravisset quod in maiora mala erupturum videbatur, Pius IX cum Petro rege Fidelissimo semel atque iterum egit, ut quaedam communi consilio decernerentur, quae tot incommodorum remedium afferrent. Itaque conventio est inita anno MDCCCLVII : cuius tamen conditiones quominus perficerentur, variae difficultates impedimento fuere.

conventio anno 1857 inita.

Ubi vero Nos, summa Dei benignitate, Ecclesiae gubernacula suscepimus, de gravissimo hoc negotio diligentissime cogitantes, auctores fuimus regni Lusitani administris ut ea de re Nobiscum agere novasque conditiones, quales tempora suasissent, scribere ne recusarent. Quod iis cum placuisset, mentem Nostram consignavimus litteris ad

1. Prid. Id. Septemb. 1744. — 2. Litt. Apost. *Multa praeclare*, die 24 Aprilis 1838.

dilectum Filium Nostrum regem Ludovicum missis hoc anno die VI Ianuarii, explorataque eius aequitate cum concordiae studio coniuncta, conventionem rite pepigimus, per quam licuit plura utiliter communi sententia statuere, quae litteris, uti mos est, mandata sunt (1). In primis vero ius patronatus regum Lusitaniae aequo modo definitum est : Archiepiscopatus Goanus dignitate Patriarchali ad honorem auctus, eiusdemque cum Dioeceses Suffraganeae designatae, tum iura cetera constituta. Praeterea convenit, ut gubernatores Lusitaniae singulis Dioecesibus supra dictis censum in tuitionem Canonicorum, Cleri, Seminariorum publice assignent : iidem operam suam cum Episcopis conferant ad scholas pueris, domos altrices pupillis comparandas, aliaque pie instituenda, quae vel christianorum saluti prodesse, vel tollere ethnicorum superstitionem posse videantur. — His de caussis cum animorum concordiam in christianis ex India populis tranquillam ac firmam fore non iniuria confidamus, idcirco maturitatem venisse censemus rei catholicae in universa cis Gangem peninsula constituendae, ut illae gentes ad montem domus Domini praeparatum accedentes, stabilis beneque ordinati regiminis beneficia sentiant.

Novum concordatum.

Describuntur Vicariatus Apostolici per Indiarum regiones successive constituti.

Septentrionalis Indiarum tractus tres excipit Vicariatus, quod antiqua missio Indostana a Gregorio XVI in duas partes anno MDCCCXLV divisa (2), et a Nobis his postremis annis tripartita (3), Agrae, Patnae et Punjabii veluti ecclesiasticas regiones separatas modo complectitur. Prior veteri territorio constat, exceptis partibus alteri assignatis : altera constat regionibus, quae appellantur Népal, Behar, parva provincia Sikkim, vetus regnum Ayadhya, Bundelkland; aliisque principatibus finitimis. Tertia vero Punjabensi regione continetur, cui regnum Cashmire deinde additum est.

His subiacet ad Indum Missio Bombayensis, quam Pius IX. an. MDCCCLIV bifariam dispertiens, regionem australem, seu Poonensem, a boreali seiunxit. Haec vero, praeter insulas Bombay et Salsette, habet provincias et regna

1. Concord. an. 1886. — 2. Litt. Apost. *Pastoralis officii*, die 7 Febr. 1845. — 3. Litt. Apost. *Intendentes*, 31 Sept. 1880.

Broack, Ahmedabad, Baroda, Guzerate, Marwar, Catch, Sindhi, Beluchistan usque ad Cabul et Punjab : australis autem regna et provincias Konkán, Xandeih et Dekkan usque ad terminos regnorum Nizam, Maissour et Canara Septentrionalis, exceptis ex utraque territoriis et provinciis Archidioecesi Goanensi nec non Archidioecesi Damanensi seu Cranganoris nuper assignatis. Subsequuntur per oram Kanarensem et Malabaricam, praeter Archidioecesim Goanam, Vicariatus tres inter montes Ghates et mare occiduum siti, nempe Mangalorensis, anno MDCCCLIII a Verapolitano seu Malabarico separatus (1), per provinciam Kanarae ad flumen Ponany; Veropolitanus ab eo flumine ad terminos Dioecesis Cochinensis nuper a Nobis restitutae, et Quilonensis ab eiusdem Dioecesis finibus ad meridiem sitis ad promontorium Comorinum usque pertingens, exceptis paroeciis Dioecesi Cochinensi assignatis.

1 SEPTEMBRIS 1886.

Ad plagam peninsulae orientalem decem pertinent Missiones. In sinu Bengalico tres ad ostia fluminis Ganges : nimirum Vicariatus occidentalis in Calcuttae urbe constitutus, et orientalis, ambo anno MDCCCL ab unico Bengalensi derivati (2). Qui autem ad iurisdictionem Episcopi Meliaporensis pertinere dicti sunt, ex numero subditorum utriusque Vicariatus excipiendi. His accedit in centro provinciae civilis Bengalensis Praefectura Apostolica anno MDCCCLV erecta. Finitima est Vicariatui occidentali Bengalico missio vastissima de Vizagapatam nuncupata, quae universum territorium inter fines Vicariatus Bombayensis et mare Bengalicum usque ad flumen Godavery ad austrum comprehendit, et anno MDCCCL a Madraspatana divisa est (3). Hyderabadensis proxima missio per regnum Nizam et provinciam Masulipatam ad flumen Krichna protenditur, quam a Gregorio XVI designatam, Pius IX anno MDCCCLI (4) ad dignitatem Vicariatus evexit.

In ora Coromandelica praecipua extat Madraspatana civitas quae ab anno MDCCCXXXIV Vicarium Apostoli-

1. Litt. Apost. *Ex debito*, 15 Mart. 1883. — 2. Litt. Apost. *Exponendum Nobis*, 15 Febr. 1850. — 3. Litt. Apost. *Ex pastoralis officio muneris*, 3 Aprilis 1850. — 4. Litt. Apost. *Ad universalis Ecclesiae*, 20 Maii 1851.

cum obtinuit, cuius iurisdictio a flumine Krichna ad Palar inter fines missionis Bombayensis et mare extenditur, eo praerepto tractu qui nuper a Nobis Meliaporensi Dioecesi assignatus est. Ad australes vero eius fines antiquus Vicariatus orae Coromandelicae in tres quoque missiones anno MDCCCL divisus fuit (1), nempe Pondicherianam inter flumen Palar ad septentrionem et flumen Cavery ad meridiem : Mayssourensem ad regionem occiduam, huius nominis regnum et provincias Coorg, Collegal, et partem Winaad et Salem complectens : demum Coembatourensem quae inter Missiones Verapolitanam, Mangalorensem et Madurae ad orientem montium Ghates continetur. Extrema iacet ad austrum peninsulae magna Madurensis Missio, quae mari Coromandelico, montibus Ghates et fluminibus Cavery et Vettar clauditur, iis sublatis regionibus et locis quae Episcopo Meliaporensi tribuimus : eamque anno MDCCCXLVI paucis ante obitum diebus Gregorius XVI Vicariatum constituit (2).

Ceylanensis vero insula in triplicem Vicariatum distinguitur, Columbensem, Jaffnensem, et Kandyensem : quorum priores ex unico antea extante, assignatis alteri provinciis occidentali et meridionali, alteri vero reliquis insulae territoriis, anno MDCCCLIX (3) a Pio IX erecti sunt : tertius a Nobis anno MDCCCLXXXIII (4) separato ex primis in centro insulae territorio constitutus est.

Hierarchia instituitur.

Cum igitur in universis Indiae missionibus, quas commemoravimus, Evangelicorum nuntiorum studio et laboribus, eo iam res christiana provecta sit, ut non modo Salvatoris Nostri nomen summa cum libertate invocetur, sed Ecclesiae plures numerentur, eaedemque multis sapienter et utiliter institutis floreant, Nos quidem primum omnium Deo optimo maximo pro parta catholio nomini prosperitate singulares gratias et agimus et habemus. Deinde vero quod Decessoribus Nostris diu in optatis fuit ut ecclesiastica hierarchia in India atque in insula Ceylanensi constitue-

1. Litt. Apost. *Pastorale Ministerium*, 3 April. 1850. — 2. Litt. Apost. *Exponendum Nobis*, 19 Maii 1846. — 3. Litt. Apost. *Exponendum Nobis*, 13 April. 1849. — 4. Litt. Apost. *Quo satius*, 20 April. 1883.

retur, id Nos ad efficiendum aggredimur. Quo facto consequutura bona, Deo iuvante, confidimus non pauca nec exigua, nominatim concordiae caritatisque incrementum, similitudinem et firmitatem disciplinae, populorum cum Episcopis maximeque cum romano Pontifice stabiliorem coniunctionem, expeditiorem catholici nominis propagationem una cum ampliore virtutum christianarum cultu.

I SEPTEMBRIS 1886.

Itaque rogata, ut negotii gravitas postulabat, Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacro consilio christiano nomini propagando praepositorum sententia, fusis in humilitate cordis Nostri ad omnipotentem Deum precibus, implorataque ope Immaculatae Dei Matris, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sanctorum Thomae Apostoli ac Francisci Xaverii, qui eas gentes sicut olim ad Evangelii lucem traduxere, ita nunc patrocinio coelesti tuentur ac tegunt ; motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis plenitudine, ad maiorem divini nominis gloriam fideique catholicae incrementum, harum Litterarum auctoritate, in universis Indiae orientalis Missionibus Episcopalem hierarchiam ad canonicarum legum praescripta instituimus.

Porro Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui primum Archidioecesim Goanam eique suffraganeas sedes Cochinensem, Meliaporensem et Cranganorensem erexerunt, easdem iuxta eam rationem quae in recenti conventione cum illustri Portugalliae et Algarbiorum rege Fidelissimo inita significatur, confirmamus et in unam ecclesiasticam provinciam iterum coalescere volumus.

Praeterea omnes totius peninsulae atque insulae Ceylan Vicariatus Apostolicos, uti a Nobis supra descripti sunt, nec non Praefecturam in centro Bengalicae provinciae sitam, in Episcopales Ecclesias, auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium erigimus et constituimus. Ex novarum vero Dioecesium numero quae sequuntur, nempe Ecclesiam Agraensem, Bombayensem, Verapolitanam, Calcuttensem, Madraspatanam, Pondicherianam et Columbensem ad Archiepiscopalis dignitatis honorem evehimus, Quod autem pertinet ad provinciales seu suffraganeas ecclesias desi-

gnandas, integrum Nobis erit quod magis expedire videatur statuere.

Novae dioeceses Congregationi de Propaganda Fide subiectae manent ;

Archiepiscopi vero et Episcopi de suarum singuli Ecclesiarum statu, iustis temporibus, ad Nostram Congregationem de propaganda Fide referant : quae peculiarem de iis regionibus curam, uti hactenus gessit, ita in posterum geret, cognoscetque de iis omnibus quae sacrorum Antistites muneris sui caussa proposuerint.

archidioecesis Goana cum Suffraganeis, Cong. Negotiis Ecclesiae extraordinariis.

Archiepiscopus vero Goanensis eiusque Suffraganei Episcopi de statu ecclesiarum ad sacram Congregationem negotiis Ecclesiae extraordinariis pertractandis referant. Iidem summa cura studeant res pie atque utiliter, iuxta memoratam conventionem instituere fidemque catholicam in finibus iurisdictionis quisque suae omni ratione tueri et amplificare.

Universis vero Indiae Episcopis integrum erit sensim ea decernere, quae ad inducendum commune ius, prout tempora siverint, conferre queant, quaeque ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Nostrae autem et huius Apostolicae Sedis partes erunt, Episcopis in perfunctione munerum suorum opera, auctoritate, consilio adesse, et quaecumque ad animorum salutem utilia et opportuna videantur omni qua fieri poterit ratione adiuvare.

Gravis adhortatio ad concordiam, obedientiam, vitae sanctitatem

Reliquum est ut Clerus populusque universus, id quod vehementer hortamur, retineant voluntatum concordiam, inviolate servent caritatem, Episcopis atque in primis huic Apostolicae Sedi libentes atque alacres in omni vita pareant, virtutibusque christianis ita se ornatos atque auctos impertiant, ut qui adhuc a veritate misere deerrant, eos ipsi vel exemplo suo vocent ad admirabile Christi lumen et regnum.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere ac inviolabiliter observari debere, non obstantibus Apostolicis atque in Synodalibus, Provincia-

libus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specia- *1 SEPTEMBRIS 1886.* libus sanctionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis : quibus omnibus, quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, institutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae aqud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo sexto, calendis septembribus, Pontificatus Nostri nono.

M. Card. SACCONI, Pro-Datarius.
M. Card. LEDOCHOWSKI.

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Lusitaniae Episcopos

DE ECCLESIAE LUSITANAE NECESSITATIBUS.

14 SEPTEMBRIS 1886.

PERGRATA nobis accidit communis epistola vestra, quam superiore mense accepimus, quaeque illud maxime testabatur, vos civesque vestros libentibus animis cognovisse novissima Apostolicae Sedis cum regno Lusitano pacta conventa, de iisque laetari, velut de re bene gesta ac bono publico non minimum profutura. — Omnino, quod vos perspexistis, illud Nobis fuit in universo hoc negotio propositum, ut ea ad dignitatem imperii conservarentur, quae regibus vestris de catholico nomine meritis Pontifices romani contulerant, unaque meliori constitutioni commodisque rei Indorum christianae consuleretur. Quod quidem propositum partim videmur consecuti, partim confidimus Dei munere beneficioque consecuturos. — Quamobrem intuentibus animo optatissimum, de quo loquimur, eventum, prospicere licet in posterum, nec ominari solum, sed plane spem certam concipere, futurum ut christianum nomen in Lusitania vestra ad communium rerum salutem florere pergat, et maiora in dies incrementa capiat.

Spes optimi fructus ex recenti concordato de rebus Goanis.

Cui spei ut ad plenum respondeat exitus, Nos profecto primi omnium, ita Deus adsit propitius, dabimus operam. Plurimum vero adiumenti in prudentia vigilantiaque vestra episcopali, in solertia et virtute Cleri, in voluntate populi Lusitani, sine ulla dubitatione reperiemus. Immo in caussa tam nobili tamque fructuosa nec partes desiderabuntur virorum qui rem publicam gerunt : de quibus minime dubitamus, quin Nobis sapientiam et aequitatem suam, sicut nuperrime probavere, ita probare reliquo tempore velint : multo magis quod catholicae fidei studium beneque de Ecclesia merendi consuetudo non est apud Lusitanos inusitata aut recens, sed pervetus diuque celebrata.

Lusitanorum singularia in Religionem merita.

Etenim quamquam est Lusitania velut ad extremitatem sita peninsulae Ibericae, eademque angustioribus limitibus circumscribitur, tamen reges vestri, quae laus est non exigua, imperii fines in Africam, in Asiam, in Oceaniam protulerunt, ut ex ipsis praestantioribus gentibus nulli Lusitania cederet, multas antecelleret. — Sed virtutem horum inceptorum magnitudini parem unde putandi sunt quaesivisse? Scilicet, si recte diiudicari velit, ex amore sensuque religionis. In iis enim ad ignotas et barbaras gentes laboriosis periculosisque expeditionibus, sic animo affectos constat plerumque fuisse, ut Christo Domino prius inservirent, quam vel utilitati vel gloriae, serendi christiani nominis, quam propagandi imperii sui cupidiores. Una cum expressa imagine vulnerum IESU CHRISTI, quod erat populare gentis vexillum, praeferre maiores vestri Crucem sacrosanctam in triremibus, in acie, venerabundi simul ac fidentes consueverant, ut non tam armorum quam Crucis ipsius praesidio nobiles victorias, quarum gloria permansit, videantur adepti. — Quae pietas tunc maxime enituit, cum Lusitaniae reges viros apostolicos exteris quoque gentibus arcessitos studiose conquirebant, Francisci Xaverii vestigiis ingressuros, eosdemque non semel a romanis Pontificibus Nuntiorum Apostolicorum auctos potestate. Singularis haec fuit nec unquam interitura maiorum vestrorum laus, quod in remotissimas gentes fidei christianae lumen principes invexerint, eoque insigni beneficio Sedem quoque Apostolicam sibi egregie demeruerint. — Nec unquam sane Decessores Nostri destiterunt, quominus grati animi significationes genti vestrae exhiberent; cuius rei praeclarum sunt argumentum decora singularia in reges collata. Ad nos quod spectat, quoties reputamus quam magna gesserit populus non ita magnus, gestit animus exemplum a Lusitanis petere, quanta vis religionis pietatisque sit: simulque Nostra vehementius excitatur mixta admiratione benevolentia. Ita sane: paternam vobis caritatem vel nuperrime re videmur probavisse: quandoquidem in componenda de rebus Indiae orientalis controversia, Nos quidem, quantum officii Nostri ratio

Gratus Pontificum Romanorum animus et constans in eos benevolentia.

patiebatur, liberaliter cum Lusitania egimus atque indulgenter. Quoniamque rectum est parem voluntatem accipere et reddere, idcirco plurimum de studio facilitateque gubernatorum rei publicae Nobismetipsis pollicemur. Fore nimirum confidimus, non solum ut curam summam de iis adhibeant quae pacta sunt, sed operam Nobiscum pariter ac vobiscum libentes eonferant ad ea, quae istic Ecclesia accepit detrimenta sarcienda.

Praesentia mala ;

Sunt haec sane haud levia, praesertim si conditio spectetur Cleri vestri,et Ordinum religiosorum : quorum clades non in Ecclesiam solum, sed in ipsam civitatem redundavit, quae sibi sensit ereptos adiutores prudentes et strenuos, quorum opera informandis populi moribus, instituendae iuventuti, ipsis etiam coloniis ad christiana instituta fingendis, non mediocri usui esse potuisset, hodie maxime, cum tam late patentem sacris expeditionibus campum in Africa interiore videamus.

horum caussae sunt :

impietas saeculi elapsi

Quod si ad ipsas malorum origines animum advertamus, impietatis libidinem, quae superiore saeculo tantopere invaluit, neque unicam neque praecipuam caussam arbitramur fuisse. Pervasit illa quidem,velut contagione morbi, vestrorum etiam animos, incursuque suo graves ruinas traxit : nihilominus non ii videntur longe a vero discedere qui maiorem perniciem censent allatam a politicarum partium factionibus, intestinis discordiis, popularium seditionum procellis.

et nostri temporis perturbationes politicae ;

Etenim religionis laudem et antiquam Lusitanorum erga romanum Pontificatum fidem nulla vis extinguere, nullae artes labefactare potuerunt. In mediis etiam vestrae reipublicae tempestatibus, populi semper iudicium fuit, foedus concordiamque regnorum cum Ecclesia maximum esse principium, quo christianas regi oporteat civitates : eamque ob caussam sanctum religiosae unitatis vinculum non modo permansit incolume, sed praebuit, auctoritate nutuque legum, constitutioni politicae fundamentum. Quae sane laetabilia et ad commemorandum iucunda, ostendunt rei catholicae statum, idoneis remediis adhibitis, non difficulter fieri posse longe meliorem. Vigent enim bona semina; quae si constantia animorum concordiaque volun-

tatum adoleverint, optatorum fructuum copiam submittent. *14 SEPTEMBRIS 1886.*

Hi vero qui cum imperio praesunt, quorum tam necessaria est opera ad Ecclesiae incommoda sananda, facile intelligent, quemadmodum Lusitanum nomen ad tantum gloriae fastigium catholicae religionis virtute beneficioque pervenit, ita unam esse viam tollendis malorum caussis expeditam, si eiusdem religionis ductu auspiciisque res publica constanter administretur. Quo facto, cum ingenio, cum moribus, cum voluntate populi futura est gubernatio rei publicae congruens. Continet enim catholica professio publicam regni Lusitani legitimamque religionem; propptereaque omnino consentaneum est, tutela legum ac magistratuum potestate esse defensam, praesidiisque omnibus ad incolumitatem, ad perennitatem, ad decus, publice munitam. Politicae perinde atque ecclesiasticae potestati sua legitime constet et libertas et actio, omnibusque sit persuasum, quod res ipsa quotidiano experimento confirmat, tantum abesse ut invidiosa aemulatione adversetur Ecclesia potestati civili, ut huic plurima et maxima ad salutem civium tranquillitatemque publicam adiumenta suppeditet.

remedium, prostat in utriusque auctoritatis concordia:

igitur qui rem publicam gubernant, religionem tueantur,

Ex altera parte ii qui sacra auctoritate pollent, quaecumque pro munere suo acturi sunt, sic agant ut ipsis plane fidere se posse ac debere rectores civitatis intelligant, nec ullam sibi oblatam caussam putent retinendarum fortasse legum, quas interest Ecclesiae non retineri. Suspicandi, diffidendi locum plerumque praebet politicarum concertatio partium: idque vos satis experiendo cognovistis. Profecto catholicorum hominum et nominatim Clericorum primum maximumque officium est, nihil unquam nec re suscipere, nec opinione profiteri, quod ab obsequio fideve Ecclesiae dissentiat, aut cum conservatione iurium eius consistere non possit. Quamvis autem fas cuique sit suum de rebus mere politicis iudicium, modo ne religioni iustitiaeque repugnet, honeste legitimeque tueri, tamen videtis, Venerabiles Fratres, perniciosum errorem eorum, si qui sunt, qui rem sacram remque civilem non satis secernant, religionisque nomen ad politicarum partium trahant patrocinium.

qui sacris praesunt, nullum suspicandi, diffidendi locum praebeant.

Omnino fovenda animorum consensio.

Igitur prudentia ac moderatione adhibita, non solum nullus erit suspicionibus locus, verum etiam firmius consistet illa catholicorum vehementer a Nobis expetita consensio. Quae si antea difficilior ad impetrandum fuit, ea de caussa fuit, quod nimis multi plus forsan, quam par esset, tenaces sententiae suae, nihil unquam nullaque ratione a studio partium suarum recedendum putaverunt. Quae quidem studia, tametsi intra certos fines improbari nequeant, adeptionem tamen supremae illius atque optatissimae coniunctionis valde impediunt.

Vestrum itaque erit, Venerabiles Fratres, omnem industriae diligentiaeque vim illuc intendere ut, prudenter amotis quaecumque obstare videantur, salutarem concordiam animorum concilietis. Idque commodius ex sententia succedet, si in re tanti momenti non disiuncte, sed collatis in unum curis, manum operi admoveritis. Quamobrem opportuna in primis videtur communicatio et societas consiliorum inter vos, ut agendi ratio similis existat. Quinam vero consiliorum delectus sit habendus, quid proposito conducat aptius, haud aegre dispicietis si vobis ob oculos veluti normam proposueritis quae identidem ab Apostolica Sede de huiusmodi negotiis declarata ac praescripta sunt, maxime vero litteras Nostras Encyclicas de constitutione christiana reipublicae.

Ceterum non omnia singulatim persequemur, quae idoneum remedium desiderant, praesertim cum ea sint exploratiora vobis, Venerabiles Fratres, quos incommodorum vis proxime et prae ceteris urget. Similiter nec ea enumerabimus, quae tempestivam civilis potestatis operam postulant, ut rei catholicae, quo modo aequum est, consulatur. Cum enim nec de paterno animo Nostro, nec de vestro legibus civilibus obsequio dubitare queant, rectum est confidere, fore ut gubernatores civitatis iusto pretio aestiment propensionem Nostrae itemque vestrae voluntatis, Ecclesiamque, multis caussis afflictam, in libertatis dignitatisque debitum gradum restituendam curent. Nos autem, quod est partium Nostrarum, paratissimo semper animo futuri sumus agere communique consensu statuere de negotiis ecclesiasticis

quod maxime opportunum videatur, honestas et aequas conditiones libenter accepturi. *14 SEPTEMBRIS 1886.*

Quaedam alioqui sunt, eaque non parvi momenti, quibus nominatim debet industria vestra, Venerabiles Fratres, mederi. Eiusmodi in primis est paucitas sacerdotum, ex eo maxime profecta, quod pluribus locis, nec brevi annorum intervallo vel ipsa Seminaria alumnis sacrorum instituendis desiderata sunt. Hac de caussa saepe vel christianae institutioni multitudinis, vel sacramentorum administrationi vix aegreque consultum. Nunc vero, quoniam divinae providentiae beneficio in Dioecesibus singulis sua sunt Clericorum seminaria, et ubi nondum restituta sunt, brevi, uti speramus et cupimus, restituentur, supplendi collegia sacerdotum in promptu est ratio, si modo disciplina alumnorum ea, qua decet, ratione constituta sit. Quam ad rem plane confidimus cognita Nobis prudentia sapientiaque vestra : sed tamen ne consilium Nostrum in hoc genere desideretis, dicta vobismetipsis putatote, quae ad venerabiles fratres Hungariae Episcopos paulo ante in caussa simili perscripsimus. « Omnino in instituendis clericis sunt duae res necessariae, « doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. « Ad eas humanitatis artes, quibus adolescens aetas infor-« mari solet, adiungendae disciplinae sacrae et canonicae, « cauto, ut earum doctrina rerum sana sit, usquequaque incor-« rupta, cum Ecclesiae documentis penitus consentiens, hisque « maxime temporibus, vi et ubertate praestans, *ut potens* « *sit exhortati...... et eos, qui contradicunt, arguere.* Vitae « sanctitas, qua dempta, inflat scientia, non aedificat, com-« plectitur non solum probos honestosque mores, sed eum « quoque virtutum sacerdotalium chorum, unde illa existit, « quae efficit sacerdotes bonos, similitudo IESU CHRISTI, « summi et aeterni Sacerdotis...... In iis (seminariis) ma-« xime evigilent curae et congitationes vestrae : efficite, ut « litteris disciplinisque tradendis lecti viri praeficiantur, in « quibus doctrinae sanitas cum innocentia morum coniun-« cta sit, ut in re tanti momenti eis confidere iure optimo « possitis. Rectores disciplinae, magistros pietatis eligite « prudentia, consilio, rerum usu prae ceteris commendatos;

Commendantur Episcopis seminariorum cura,

« communisque vitae ratio, auctoritate vestra, sic tempere-« tur, ut non modo nihil unquam alumni offendant pietati « contrarium, sed abundent adiumentis omnibus, quibus « alitur pietas : aptisque exercitationibus incitentur ad « sacerdotalium virtutum quotidianos progressus. »

cleri disciplina,

Deinde vero vigilantia vestra debet maxima et singularis esse in presbyteros, ut quo minor est operariorum numerus, eo sese impertiant in excolenda vinea Domini alacriores. Illud ex Evangelio *messis quidem multa* vere de vobis usurpari videtur posse, propterea quod religiosam institutionem semper Lusitani homines adamare consueverunt, eamdemque cupide et libenter excipiunt, si in sacerdotibus, magistris suis, ornamenta virtutum doctrinaeque laudem inesse perspexerint. Itaque mirum quantum profutura Cleri est opera in erudiendis popularibus suis, maxime adolescentibus, digne studioseque posita. Sed ad pariendum alendumque in hominibus amorem virtutis, exploratum est valere maxime exempla : propiereaque curent, quotquot in muneribus sacerdotalibus versantur, non solum ne quid in ipsis deprehendatur ab officio institutoque ordinis sui dissentiens, sed ut morum vitaeque sanctitate emineant, *tanquam lucerna super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.*

bonarum ephemeridum divulgatio.

Tertium denique genus, in quo curas vestras oportet assidue versari, earum rerum est quae, mandatae litteris, in singulos dies, aut statis temporibus in lucem prodire solent. Nostis tempora, Venerabiles Fratres : ex altera parte rapiuntur homines inexplebili cupiditate legendi ; ex altera ingens prave scriptorum colluvio licenter effunditur : quibus caussis vix dici potest, quanta labes honestati morum, quanta religionis incolumitati quotidie ruina impendeat. Itaque hortando, monendo, omni qua potestis ope et ratione perseverate, ut facitis, ab istiusmodi corruptis fontibus homines revocare, ad salubres haustus adducere. Plurimum iuverit, si cura ductuque vestro diaria publicentur, quae malis venenis undecumque oblatis opportune medeantur, suscepto veritatis, virtutis, religionis patrocinio. Et quod ad eos pertinet, qui scribendi artem cum amore studioque rei catholicae honestissimo sanctissimoque proposito coniungunt, si

labores suos vere volunt esse fructuosos et usquequaque laudabiles, constanter meminerint quid ab iis requiratur, qui pro caussa optima dimicant. Scilicet in scribendo summa cum cura adhibeant necesse est moderationem, prudentiam, maximeque eam, quae vel mater vel comes est virtutum reliquarum, caritatem. Fraternae vero caritati videtis quam sit contraria suspicandi levitas, criminandi temeritas. Ex quo intelligitur, vitiose et iniuste facturos, qui favent uni parti politicae, si crimen suspectae fidei catholicae aliis inferre non dubitent, hac una de caussa quod sunt ex altera parte, perinde ac catholicae professionis laus cum his illisve partibus politicis necessitate copuletur. *14 SEPTEMBRIS 1886.*

Haec, quae hactenus vel monuimus vel praecepimus, auctoritati vestrae commendata sint; quam quidem vereri, et cui subesse necesse est universos, quibus praeestis, praecipue vero sacerdotes, qui in omni vita cum privata, tum publica, sive in muneribus sacri ordinis versentur, sive magisterium in Lyceis exerceant, in Episcoporum potestate esse nunquam desinunt; iidemque quemadmodum ad omne decus virtutis, ita ad obtemperationem et obsequium, quod auctoritati episcopali tribuere oportet, debent vel exemplo suo vocare ceteros.

Quo autem omnia ex voto ac prospere cedant, coelestem opem deprecemur; in primisque perennem illum divinae gratiae fontem adeamus Cor sanctissimum Servatoris nostri IESU CHRISTI, cuius viget apud vos religio praecipua et vetus. Patrocinia imploremus Immaculatae Dei Genitricis Mariae, cuius singulari tutela Lusitanum regnum gloriatur: item Elisabethae vestrae, feminarum regiarum sanctissimae, sanctorumque martyrum, qui vel a primis Ecclesiae temporibus profuso sanguine rem christianam in Lusitania constituerunt vel auxerunt.

Interea testem benevolentiae Nostrae et coelestium donorum auspicem, Benedictionem Apostolicam vobis et Clero populoque vestro universo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV septembris anno MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Cardinalem Vicarium Parocchi

DE QUOTIDIANA RECITATIONE ROSARII IN ECCLESIIS ROMAE B. V. DICATIS.

31 OCTOBRIS 1886.

PIU volte nel corso del Nostro Pontificato abbiamo fatto conoscere la Nostra predilezione per la devozione del SS. Rosario e la fiducia grande che abbiamo in essa riposta negli attuali gravissimi bisogni della Chiesa. Nelle Nostre lettere Encicliche abbiamo largamente toccato dei motivi di questa Nostra predilezione e fiducia, e questi Ci hanno indotto a prescrivere fino a nuova disposizione la continuazione del pio esercizo del mese di ottobre in onore della gloriosa Vergine del Rosario. Ed è per l'animo Nostro di vera consolazione il risapere che in moltissimi luoghi si è rianimata e fiorisce tal devozione, sì in publico, che in privato, e porta alle anime frutti preziosi di grazia e di salute.

Pontificis affectus specialis et fiducia in Rosarium;

Quindi è che noi crediamo di non aver fatto mai abbastanza per promuovere in mezzo al popolo fedele questa pia pratica, che desidereremmo vedere sempre più largamente diffusa, addivenire la devozione veramente popolare di tutti i luoghi e di tutti i giorni. Il qual desiderio è in Noi tanto più vivo, quanto più tristi ed avversi alla Chiesa si fanno di giorno in giorno i tempi, e più stringente si riconosce il bisogno di uno straordinario soccorso divino. La baldanza delle sètte, cresciuta pel favore o la connivenza che incontra dovunque, non ha ormai ritegno, e in mille modi da per tutto si prova di recare onta ed offese alla Chiesa, la sola potenza che può combatterle e che sempre le ha combattute. Essa, perchè opera divina, cui le promesse del suo Fondatore dànno ogni sicurtà, non teme per sè: ma intanto sono incalcolabili i danni che derivano alle anime, gran numero delle quali va miseramente in rovina. Queste considerazioni Ci muovono a volere che costante e non mai interrotto sia nella Chiesa il ricorso a Dio e alla gran Vergine del Rosario,

desiderium ut Rosarii recitatio fiat universalis, perpetua;

validissimo aiuto dei cristiani, la cui potenza sentono tremando le stesse potestà dell' abisso.

C' indirizziamo pertanto a Lei, signor Cardinale che tiene le veci Nostre nel governo della Chiesa di Roma, per manifestarle esser Nostro intendimento che appunto si cominci in Roma a rendere più generale, quotidiana e perpetua nei pubblici tempî ed oratorî la devozione del Rosario. Molte sono in quest' alma Nostra città le Chiese dall' insigne pietà dei Romani dedicate ad onore della Santissima Vergine ; e in alcune di esse sappiamo già che è in uso la recita giornaliera del Rosario. Ma è nostra volontà che il devoto esercizio sia introdatto e quotidianamente praticato anche in tutte le altre consacrate a Maria, in quelle ore che per ciascuna saranno riconosciute più opportune e più comode ai fedeli. In conformità di questi Nostri intendimenti Ella vorrà emanare le necessarie disposizioni, le quali perchè non abbiano da incontrare difficoltà nell' esecuzione, Noi siamo pronti a fare, come Ella sa, quanto può occorrere per facilitarla.

Voluntas ut in ecclesiis Urbis Beatae Virgini dicatis Rosarii quotidiani praxis servetur.

Nè è senza motivo che ordiniamo per Roma preghiere speciali. Roma, sede del Vicario di GESU-CRISTO, particolarmente favorita dalla Provvidēnza, et alla Vergine singolarmente devota, è ben giusto che vada innanzi ad ogni altra città nelle manifestazioni religiose e serva a tutte di esempio. Inoltre qui, nella persona del suo Capo supremo, la Chiesa soffre più che altrove ; qui, come a centro del cattolicismo, sono rivolti più che altrove gli sforzi dei nemici; e l'odio satanico delle sètte Roma prende più specialmente di mira. Roma pertanto ha più ragione e maggior bisogno di mettersi sotto la protezione della gran Vergine e di meritarsi il patrocinio. E noi non dubitiamo che la pietà dei Romani Ci secondi pienamente in questi Nostri intendimenti, che mirano ad un tempo al vantagio di tutta la Chiesa e all' incolumità di Roma.

Peculiares Urbis necessitates.

Con questa dolce speranza impartiamo di tutto cuore a Lei, signor Cardinale, e a tutto il Clero e popolo di Roma, l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano li 31 ottobre 1886.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Cataniensem

DE BENEDICTINO S. ANSELMI COLLEGIO INSTAURANDO.

4 IANUARII 1887.

ABBIAMO appreso con particolare soddisfazione quanto ci avete accuratamente riferito intorno alle deliberazioni del Congresso degli Abati cassinesi, tenuto testè in Roma sotto la vostra presidenza. Già da vario tempo era Nostro desiderio di convocare questa straordinaria adunanza, la quale, come sapete, si sarebbe riunita fin dalla primavera dell' anno passato, se speciali ragioni e circostanze non lo avessero impedito. E questo Nostro desiderio era ispirato dai molti vantaggi che dal Congresso ci ripromettevamo pel bene dell' Ordine benedettino, che sempre abbiamo amato, ed a cui anche recentemente abbiamo dato argomenti della Nostra considerazione e benevolenza. Ci sono presenti allo spirito le tante glorie religiose e sociali, di cui nel corso di quattordici secoli i Figli di san Benedetto si fregiarono a titoli nobilissimi; le virtù monastiche di cui i loro chiostri furono fortunato asilo; il numero grande di Santi che fornirono al cielo, di Pontefici gloriosi, di Porporati e di Pastori insigni che diedero alla Chiesa; gli splendidi monumenti di dottrina sacra e profana, che lasciarono al mondo; le loro benemerenze verso le lettere, le arti belle e la vera civiltà, che per loro scamparono alle ingiurie della ignoranza e della barbarie. — Difficili ed avverse vicende traverso la chiesa in questi ultimi tempi, le quali non furono meno sentite dagli ordini religiosi, ed anche da quello benedettino, cui furon cagione di gravissime perdite. Non si pero che ne abbiano messo in pericolo l'esistenza, e gl' impediscano di tornare a floridezza novella. E così, malgrado il periodo difficilissimo che si traversa, ci è dato bene sperare dell' avvenire dell' Ordine benedettino anche in Italia, che fu madre ed altrice all' inclito Patriarca, e dell' Ordine stesso

Splendida merita ordinis S. Benedicti in memoriam Pontifex revocat;

vice adversas dolet, renascentem vigorem laudat et spem bonam exprimit de meliore fortuna.

la cuna fortunata, il centro e la sede più gloriosa. Basta sol ricordare Montecassino, che tanta parte ha avuto per vari secoli nella storia della Chiesa e della civiltà cristiana. Sarebbe infatti ottima cosa e lieta ventura se i Monaci Cassinesi, non ostante i tempi avversi, giungessero a rilevarsi dai danni patiti e, per quanto lo consentono le condizioni presenti, potessero conservare il vigore dell' interna disciplina e la fama dell' antico sapere. E poiché nell' unione sta la forza, più fondata sarebbe la speranza di un migliore avvenire, se le diverse loro membra, sparse nelle varie parti del mondo, formassero un solo corpo per l'unità di regola e di direzione.

Optat ut diversae familiae Benedictinae adunitatem regulae et disciplinae deveniant.

Questi pensieri, come sapete, Venerabile Fratello, ci mossero a riunirvi in Congresso in quest' alma città ; dove per primo volemmo che si trattassero le cose riguardanti la disciplina regolare ; ed abbiamo saputo con vera consolazione che il Congresso si è di questo occupato con la miglior volontà e con soddisfacentissimi risultati.

Gratulatur Pontifex felicem exitum Congressus extraordinarii Abbatum Cassinensium.

Per l'incremento degli studi credemmo fosse opportunissimo mezzo ordinare la riapertura del Collegio di S. Anselmo, fondato già con simile intendimento in S. Callisto dal glorioso Nostro Predecessore Innocenzo XI, colla Costituzione *Inscrutabili*, or sono appunto due secoli. Ordinato sin dall' origine al perfezionamento degli studi teologici e canonici, aperto ad un determinato numero di giovani Monaci scelti da tutte le provincie della Congregazione Cassinese, con facoltà di aggiungere a questi anche altri giovani Monaci delle varie Congregazioni di Benedettini neri, il Collegio di S. Anselmo venne in breve tanto in fiore, che ne uscirono uomini celebratissimi, ed i suoi alunni furono in gran numero adoperati dalla Santa Sede nelle amministrazioni delle Diocesi ed in altri importantissimi uffici. Una tanto provida istituzione, che aveva già fatto sì buona prova, entrava mirabilmente nei nostri disegni a favore dell' Ordine vostro, e non potevamo non vogheggiare l'idea di tornarla in vita. Ed anche in questo il Congresso Ci ha pienamente secondati, sottoponendoci per la riapertura del collegio di S. Anselmo uno speciale progretto, frutto dei comuni studî e delibera-

Opportunitas instaurandi Collegium S. Anselmi erudiendis selectis monachis ex omnibus Congregationibus.

zioni. Fu ottimo consiglio stabilire che, oltre il Diritto canonico ed il corso completo di Teologia, che abbracci la Storia Ecclesiastica, l'Esegesi biblica, la Patristica, l'Archeologia cristiana e le lingue greca ed ebraica, si abbia nel detto Collegio da insegnare, per due anni, anche la Filosofia secondo la scuola di S. Tommaso, e le scienze Fisiche e Matematiche. L'indole dei tempi richiedeva questa aggiunta, poiche siffatte discipline si sono rese più che mai necessarie in mezzo a tanto movimento di studi e, quel che è peggio, fra tanta colluvie di errori: la prima per difendere le verità della ragione e della fede; le altre, per non lasciare quel campo aperto solo ai nemici, che da esso traggono copiose armi ad oppugnare molti veri sia rivelati, sia naturali. Del resto, come l'antico così il nuovo Collegio di S. Anselmo intendiamo che sia aperto agli alunni di tutti i Monasteri della Congregazione Cassinese e sue Filiali, e desideriamo, il più vivamente che per Noi si possa, che anche tutte le altre Congregazioni benedettine di abito nero vi mandino i loro alunni, affinchè per lo spirito della stessa regolar disciplina e per la conformità degli studi si venga come naturalmente preparando quella congiunzione delle varie membra in un medesimo corpo, di cui abbiamo sopra mostrato il desiderio. A questo Nostro disegno siam certi che risponderanno volonterosi non solo i benedettini Cassinesi dell' America, ma quelli altresì degli illustri monasteri di Francia, del Belgio, della Svizzera, dell' Austria, della Germania, d'Inghilterra, della Baviera e di altre regioni: siam certi che tutti faranno a gara d'inviare i migliori giovani al collegio di S. Anselmo, all' ombra della Sede Apostolica e non lungi dal beato Monte, d'onde, come da centro, si diffuse dovunque il vero spirito del gran Patriarca, che a guisa di attivisimo fuoco accese da per tutto la fiamma di ogni virtù e di ogni civile coltura.

Exspectata ordinis Benedictini utilitas erga Ecclesias Orientis.

Voi sapete, Venerabile Fratello, quanto Ci sia a cuore questa cosa, la quale si collega pure con altri Nostri intendimenti, à beneficio specialmente della Chiesa di Oriente: vi concorreremo come possiamo anche Noi, perchè presto possa avere cominciamento. Ma per questo molto contiamo

ancora sull' opera vostra, la quale, come fu utilissima in seno del Congresso, così confidiamo sia per essere opportunissima per avviare sulle prime il nuovo Collegio in guisa che abbia da rispondere pienamente al fine che Ci proponiamo.

4 IANUARII 1887.

Si degni Iddio favorire propizio queste nostre comuni aspirazioni: e a tale effetto impartiamo a voi, Venerabile Fratello, a tutti gli Abati che si recarono al congresso, e a tutte le Congregazioni benedettine che seconderanno il Nostro voto una specialissima benedizione, pegno del Nostro affetto per loro, ed auspice delle più copiose grazie del cielo.

Dato a Roma presso san Pietro il giorno 4 gennaro 1887, del Pontificato Nostro anno nono.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE NOVORUM CARDINALIUM CREATIONE.

14 MARTII 1887.

GRATA, ut assolet, atque optata Nobis praesentia vestra habet hodierna die nonnullam caussam moeroris adiunctam. Vos enim cum intuemur, requirunt oculi Nostri in hoc amplissimo consessu vestro non paucos, qui novissimo tempore, brevi intervallo extincti, virtutis ac prudentiae suae triste Nobis desiderium reliquerunt. Eos igitur memori caritate prosecuturi, ad vos maxime, Venerabiles Fratres, animum videntes convertimus, rationemque solatii non exiguam in voluntate nanciscimur sapientiaque vestra, quae quanto Nobis adiumento atque usui semper fuerit, quantoque in reliquum tempus futura sit, diu experti cognoscimus. Faciendum vero decrevimus ut auctoritate Nostra alii cooptentur, quos et utilium laborum habeatis socios, et consortes dignitatis : eo vel magis, quod ad varias temporum difficultates eluctandas expedit communibus consiliis et concordi multorum opera incumbere. Dignos honore ordinis vestri itemque expectatione Nostra iudicavimus Nuntios Apostolicos, qui in Austria-Hungaria, in Gallia, Hispania, Lusitania legationibus gestis, suam Nobis integritatem, fidem, prudentiam vel difficilioribus rebus probavere : item virum egregium, qui a muneribus urbanis ad episcopalem translatus dignitatem, plures annos de re sua dioecesana praeclare meruit. — Ii autem sunt :

Cardinales defunctos luget Pontifex,

Vivorum labores et consilia postulat.

SERAPHINUS VANNUTELLI, archiepiscopus Tit. Nicaenus, Nuntius Apostolicus in Austria-Hungaria :

CAIETANUS ALOISI MASELLA, archiepiscopus Tit. Neocaesariensis, iam Nuntius Apostolicus in Lusitania :

ALOISIUS GIORDANI, archiepiscopus Ferrariensis :

CAMILLUS SICILIANO DI RENDE Archiepiscopus Beneventanus, Nuntius Apostolicus in Gallia :

MARIANUS RAMPOLLA DEL TINDARO, archiepiscopus Tit. Heracliensis, Nuntius Apostolicus in Hispania.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

SERAPHINUM VANNUTELLI
CAIETANUM ALOISI-MASELLA
ALOISIUM GIORDANI
CAMILLIUM SICILIANO DI RENDE
MARIANUM RAMPOLLA DEL TINDARO.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen

EPISTOLA

Ad Episcopum sancti Pauli de Minnesota

DE SOCIETATIBUS TEMPERANTIAE.

27 MARTII 1887.

EXIMIA pietatis et caritatis opera, quibus fideles in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus concivium suorum utilitati ac saluti procurandae consulere adlaborant, gratissima Nobis ex iis, quae nuperrime retulisti, acciderunt. Placuit in primis quod oppugnando exitioso ebrietatis vitio optimis consociationibus, ae praesertim Unione Catholica perfectae abstinentiae servandae constituta sedulam navetis operam. Exploratum sane est quam noxia ex immoderata potatione, quamque deflenda cum fidei tum moribus detrimenta pertimescenda sint. Nec laudari satis possunt Foederatorum Statuum Pastores, qui haud ita pridem in Plenario Conventu Baltimorae habito gravissima oratione incontinentiam huiusmodi condemnarunt, declarantes, ipsam perpetuum peccati fomitem, foecundamque malorum radicem existere, ebriosorum familias ingenti ruina obruere, plurimosque in aeternam poenam exitiumque praecipites agere ; fideles vero in eam intemperantiam perlapsos acatholicis scandalo, veraeque religionis propagationi magno impedimento esse. Itaque praecipua commendatione dignum existimamus nobile piarum Societatum consilium, quo a potu quolibet inebriante omnino abstinendum proponunt. Minime vero dubitari potest firmam hanc voluntatem gravissimo illi malo opportunum planeque efficax esse remedium, eoque validius incitamentum universis ad cupiditatem refrenandam, quo major est eorum qui illo utantur auctoritas. Maxime vero valere debet in hoc zelus Sacerdotum, quorum uti est verbo vitae plebem instruere, ac bonis moribus fingere, ita eos potissimum oportet sua virtute caeteros anteire. Itaque Pastores satagant ebriositatis pestem assiduis concionibus ab ovili Christi depellere, atque omnibus abstinentiae exemplo praelucere, ut tot calamitates ex eo vitio Ecclesiae ipsique patriae

Mala ex immoderata potatione orta.

Probatur catholica Unio perfectae abstinentiae.

Intemperantiae Clerus obsistat verbo et exemplo.

impendentes strenue avertere contendant. Nos vero Deum enixe adprecamur, ut votis in hac re tuis benignus faveat, consilia dirigat, coeptis assistat, atque in auspicium coelestis tutelae, paternaeque benevolentiae Nostrae testimonium Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, aliisque tecum sancto hoc foedere coniunctis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII martii MDCCCLXXXVII Pontificatus Nostri anno decimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Coloniensem

DE EMENDANDIS LEGIBUS LIBERTATI CATHOLICORUM CONTRARIIS IN REGNO BORUSSICO.

7 APRILIS 1887.

Ex litteris tuis XIII Cal. aprilis datis facile agnovimus, id quod iam erat Nobis persuasum, maximae tibi curae esse rei catholicae in patria tua statum. Idque tibi laudi libentes damus: propterea quod iste animus, commune bonum tam studiose appetens, congruit cum tuae dignitatis gradu, nec est alienus temporibus, quibus nunc apud vos Ecclesia defungitur.

Aperit Pontifex sensum Apostolicae Sedis de incoepta legum Ecclesiae infensarum revisione.

Nostrarum vero partium arbitramur esse cum tibi ad ea respondere, quae vis ipse cognoscere, tum palam ostendere quid Sedes Apostolica sentiat de ea rogatione nuperrima, quae ad res catholicas pertinet in regno Borussico ordinandas: de qua ipsa aliquot S. R. E. Cardinales sententiam rogavimus. — Nos quidem vel ab initio Pontificatus multum et serio cogitare de vobis instituimus, atque, ut ratio Nostri ferebat officii, consilium cepimus omnia conari, si qua ratione liceret, pacatam tranquillitatem cum libertate legitima catholico nomini restituere. Cuiusmodi voluntatem Nostram litteris consignavimus, nec solum iis quas vel ad augustum Imperatorem, vel ad serenissimum Dynastam dedimus, sed iis etiam quas ad tuum in Archiepiscopatu Coloniensi decessorem proximum misimus.

Multa jam feliciter obtenta, nempe:

Quamobrem, ut erat proclive factu, a diuturna sollicitudine respirare, laetamque in spem ingredi coepimus, ubi placere intelleximus, contrarias libertati catholicorum leges, emendandi caussa, retractari; quo facto iter ad componenda dissidia muniebatur. Quae vero consecuta sunt, magis ad spes augendas, quam ad infirmandas valuerunt. Partim enim data est, partim datur temperandis iis legibus opera: et quamquam non est impetratum de omnibus rebus, quas merito catholici adipisci cupiunt, plura tamen constituta sunt, quibus efficitur eorum conditio melior. Et sane illud

vides quanti sit, romani Pontificis auctoritatem posse iam libere exserere atque explicare sese in multiplici et vario rerum genere, quae Sedi Apostolicae vel cum potestate publica, vel cum Episcopis populoque catholico intercedant. Deinde, quod tam sollicito studio expetebamus, plurium Dioeceseon consultum est regimini, longinqua orbitate sublata ; paroeciis ad magnum numerum sui curiones praepositi : impedimenta, quae potestatem episcopalem in disciplina regenda exercendisque iudiciis prohibuerant, amota. Restituta unum iam annum videmus Clericorum Seminaria quatuor : proximeque alterum instituendi in Limburgensibus, alterum in Osnabrugensibus facultas erit: quibus dioecesibus Seminarium suum nec sit, ex iis dioecesibus alumnos alio intra regni fines in Seminariis instituendos mitti licebit. Semel autem religiosorum sodalium revocatis vel aliquibus ordinibus, manabit latius vitae actio christiana, plurimique ad perfectionem absolutionemque virtutis niti sine offensione poterunt. Qua re et catholicorum satis factum est honestissimae voluntati: constat enim ordines religiosos in magno eorum fuisse desiderio, et ipsi civitati ad caritatis officia, ad fingendos mores populares, ad omne humanitatis lumen provehendum utilia adiumenta comparata. Hac igitur ratione facile intelligis, Venerabilis Frater, immitibus illis legibus aut abrogari, aut certe tantum derogari, ut tolerari minus moleste posse videantur. — Nihilominus erit Apostolicae Sedis summam providentiam semper adhibere, omniaque circumspicere, ut eiusmodi rerum conditioni, quae ab optimo abest, plura et ampliora quaerantur. Ex altera parte conscientia Nos Apostolici muneris atque ipsa rerum gerendarum prudentia admonent, ut bonum praesens idque certum anteponamus dubiae spei atque incertae expectationi maioris. Nam quemcumque rerum germanarum cursum tempora invexerint, illa certe magna sunt et Ecclesiae profutura, praeesse Clero populoque sacra cum potestate Antistites : multitudinem catholicam posse praecepta fidei et morum a pastoribus suis accipere : sacrorum alumnos ad spem sacerdotii in Seminariis sancte erudiri : sodales ordinum quorumdam religiosorum ad omne decus evangelica-

liberum in Borussia exercitium auctoritatis pontificiae,

variae dioeceses pastoribus dotatae,

paroeciae curionibus;

aperta seminaria clericorum,

revocati quidam ordines religiosi.

A Sancta Sede providendum ut majora quaerantur;

interim bonum praesens anteponendum dubiae spei maioris.

rum virtutum animose contendere in luce atque oculis civitatum. — Illud restat, renunciare parochorum designatorum nomina. Sed ad hanc rem, quam sit Clerus vester sanctitatis officii retinens, testantur ea quae edidit integritatis ac fortitudinis in maximis rerum difficultatibus documenta. De Clericis autem adolescentioribus, iure sperandum, fore ut, ad munera sacerdotalia vobis auctoribus et ducibus instituti, illa ipsa virtutum exempla aliquando renovent. — Ceterum, quod ad hoc caput pertinet, iam septem ante annis recepimus, ipsoque anno proximo superiore idem confirmavimus, Nos quidem nolle in hac parte, si e re esse visum esset, Borussiae postulata abnuere : proptereaque cum refigi reformarive leges, dequibus agitur, coeptae sunt, aequum fuit obligatam fidem exsolvere. Neque est praetereundum, hanc esse unam omnium conditionum, quam Nos denique non recusavimus. Postremo totum hoc negotium, quod est de prodendis Curionum destinatorum nominibus, cum inter Nos et administros regni Borussici agatur, quemadmodum ex litteris eminet ultro citroque missis, dabimus operam ut amice conveniat qua ratione rem interpretari, et quam sequi normam oporteat, si quando aliud Episcopus velit, aliud Praefectus Provinciae contendat. Atque illae ipsae litterae summatim sententiam continent Episcopi Fuldensis in eo quod attinet ad potestatem caussasque exceptionis opponendae. — Igitur, spectatis maxime rogationibus eiusdem Episcopi Fuldensis, quas quidem Senatus sancivit, cum data lex, de qua loquimur, multorum incommodorum remedium idque non commentitium, nec sane contemnendum afferat, eademque aditum ad pacem tamdiu tantoque opere expetitam patefaciat, idcirco opus esse iudicamus ut catholici viri eiusmodi rogationi, de qua ad alterum coetum legumlatorum referetur, assentiri ne recusent. Tute autem, Venerabilis Frater, pariterque Collegae tui, quantum hortatione et auctoritate potestis, tantum conamini et efficite, ut quotquot istic catholici numerantur, omnino Apostolicae Sedi confidant, in eiusque consiliis securi acquiescant : ipsa enim catholici nominis caussam eadem semper vigilantia eodemque tenore caritatis, uti

Toleranda parochorum designatorum notificatio.

Igitur virorum catholicorum suffragio munienda legum correctio.

Fiducia in summum Pontificem reponenda.

debet, in Borussia tuebitur. Hac demum animus Noster cogitatione laetatur, futurum ut, deletis dissidiorum caussis, et Clerus et populus catholicus universus animum gerant cum Episcopis suis perpetuo consentientem, imprimisque vereantur et colant, uti faciunt, Pontificem romanum, qui in Ecclesia et principium unitatis est, et vinculum incolumitatis. *7 APRILIS 1887.*

Interea, coelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VII aprilis MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno decimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Baltimorensem

DE STUDIORUM UNIVERSITATE IN STATIBUS FOEDERATIS ERIGENDA.

10 APRILIS 1887.

QUOD in novissimo Conventu anno MDCCCLXIV Baltimorae habito communi Venerabilium Fratrum Americae Borealis Episcoporum voto propositum fuerat, de studiorum universitate in istius reipublicae gremio erigenda, id modo Tibi caeterisque Ecclesiarum istarum Pastoribus in animo esse reipsa auspicari, communibus litteris die 25 octobris elapso anno ad Nos datis intelleximus. Maxime vero delectati sumus praeclaro fidei vestrae testimonio, ac sincero pietatis obsequio in hanc Apostolicam Sedem, cuius patrocinio ac tutelae Academiam a primo eius exordio commendastis. Perpetua enim Pastorum Ecclesiae, praesertim vero Pontificum Maximorum laus semper extitit, veri nominis scientiam strenue provehere studioseque curare ita disciplinas, imprimis theologicas ac philosophicas, ad fidei normam in scholis tradi ut coniunctis revelationis ac rationis viribus invictum inde fidei propugnaculum constitueretur. Itaque Decessores Nostri de erudiendo christiano populo vehementer solliciti, elapsis temporibus nullis unquam curis laboribusque pepercerunt ut in praecipuis Europae urbibus celeberrima scientiarum domicilia, Academiae scilicet studiorum excitarentur, quae cum media aetate, tum insequentibus saeculis florentissimam hominum doctissimorum segetem christianae civilisque reipublicae emolumenta praebuere. In hunc finem Nos ipsi simul ac Ecclesiae gubernacula regenda suscepimus, sedulam instaurandis studiis dedimus operam, et praesertim ad praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituendam atque in pristinum decus vindicandam animum viresque adiecimus, id spectantes ut in graviorum disciplinarum cultu, ratione semper habita eorum omnium quae scite sapienterque recentiori aevo docti homines industria sua protule-

Summorum Pontificum curae in vera scientia provehenda:

eorum labores ut academiae excitarentur:

runt, ad nobilissimam veterum sapientiam informaretur ratio philosophandi, eaque disciplinam angelici Doctoris docili studio sequeretur. Certum autem Nobis exploratumque erat ea scientiarum renovatione perfecta, litterarum etiam caeterarumque humanarum disciplinarum studia cum verae pietatis cultu coniuncta, plurima in civilem societatem conferre commoda posse.

ipsius Leonis XIII studium de recta philosophandi ratione.

Quae quidem nostrorum temporum in periculis, quibus apud Europae gentes iuventus est obnoxia, manifeste cernuntur, ac vos ipsi inspectis Americae Borealis conditionibus quanti facienda et quam gravis momenti sint aperte cognoscitis. Quippe immoderata cogitandi scribendique libertas ex pravis circa divinas humanasque res sentiendi modis late diffusis uti in Europa ita apud vos suborta, effrenatarum opinionum radix est atque origo; religione vero ut plurimum a scholis exulare coacta, nefarii homines fallacis sapientiae astu christianam fidem in adolescentium animis extinguere, impietatisque facem succendere audacter moliuntur. Quapropter necesse est iuvenilem aetatem sanioris doctrinae pabulo diligentius enutrire, praesertim vero eos adolescentes qui in Ecclesiae spem succrescunt armis omnibus communire quibus propugnandae catholicae veritatis caussae pares evadant.

Americani populi necessitates.

Nos itaque consilium vestrum quo communis salutis studio permoti inclitaeque istius reipublicae bono consulentes studiorum universitatem constituere aggredimini, libentissime excipimus ultroque probamus. Quo vero nobilissimum hoc institutum feliciter perficiatur maioraque in dies incrementa suscipiat, ita sub auctoritate tutelaque omnium regionis istius Praesulum perpetuo esse oportet ut administratio universa ab ipsis per Episcopos ad id muneris delectos geratur, quorum sit studiorum rationem definire, leges ferre disciplinae tuendae, Doctores caeterosque Academiae administros eligere, aliaque ordinare quae ad optimam eius Academiae gubernationem pertineant. Quae vero de his omnibus constituta fuerint par est ut examini huius Apostolicae Sedis exhibeantur, quo eius auctoritate probentur. De Urbe vero in qua universitas studiorum sit eri-

Probatur consilium erigendi catholicam studiorum universitatem:

nonnulla de ratione rei exequendae monentur.

genda, cupimus ut cum caeteris Foederatorum Statuum episcopis consilia communicentur, rogataque singulorum sententia de hac re decernatur.

Adduntur animi ad pergendum in incoeptis.

Perge igitur, Dilecte Fili Noster, cum caeteris VV. FF. istius Americanae regionis episcopis concordi animo coepta perficere, nec quisquam vestrum ulla difficultate aut labore deterreatur, firma spe fretus sese uberrimos fructus ex curis ac sollicitudinibus esse relaturum, iis fundamentis et praesidiis positis quibus digni sacrorum ministri ad curandam fidelium salutem et catholicam pietatem propagandam, optimique in republica cives habeantur. Nos vero enixe Deum rogamus ut mittat e sedibus suis assistricem sapientiam, quae mentes et corda omnium vestrum dirigat, et divinorum munerum auspicem praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem Tibi, Dilecte Fili Noster, cunctisque Venerabilibus Fratribus Foederatorum Statuum Archiepiscopis et Episcopis, caeterisque omnibus qui vobis hac in re opem sua liberalitate contulerint, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die X aprilis MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno decimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

in forma Brevis

QUIBUS DEFINITUR STATUS CATHOLICORUM SYRO-MALABARENSIUM.

QUOD iampridem Praedecessoribus Nostris in votis fuit, ut Ecclesiastica Hierarchia in Indiis Orientalibus constitueretur, id ex Apostolico munere, quo licet immeriti fungimur, efficere aggressi sumus. Quod cum praestiterimus Apostolicis Litteris, quarum initium *Humanae Salutis Auctor* kalendis Septembribus anno superiore datis, pro sollicitudine Ecclesiarum omnium Nobis divinitus commissarum, peculiarem curam Catholicorum ritus Syro-Malabarici habere voluimus, eaque in re eorumdem Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaesimus, qui nihil intentatum reliquerunt, ut praedicti ritus fideles in iisdem regionibus commorantes ad Catholicam veritatem et unitatem reducerentur, neque ullis postea conatibus haereticae vel schismaticae pravitatis ab ea se paterentur avelli. Quocirca ad eorumdem fidem, obedientiam et devotionem erga Apostolicam Sedem eo potiori modo remunerandam, quo in praesens rerum circumstantiae fieri posse suadebant, atque ut penes ipsos vera Christi Ecclesia maiora in dies incrementa suscipiat, auditis et assentientibus Archiepiscopis et Episcopis Indiae Centralis et Meridionalis in civitatem Bangalorensem synodaliter convenientibus, praeside Venerabili Fratre Apostolico Indiarum Orientalium Delegato, deque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi Fidei Propagandae pro ritus Orientalis negotiis praepositorum, haec, quae infrascripta sunt, constituenda censuimus. Itaque motu proprio, atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, praesentium vi mandamus, ut peracta rituali separatione Catholicorum Syro-Malabarensium a Latinis, duo pro illis constituantur Vicariatus Apostolici committendi Episcopis Latinis, qui sibi assumant Vicarium Generalem Syro-Malabarensem privilegio condecorandum exercendi proprio ritu

20 MAII 1887.

Pontificum sollicitudo erga Catholicos ritus Syro-Malabarici.

Duo pro eis constituuntur Vicariatus Apostolici.

Pontificalia, et Confirmationis sacramentum, Chrismate tamen ab Episcopo consecrato, conferendi : nec non alios quatuor viros ecclesiasticos eiusdem gentis et ritus eligant, quorum consilio in omnibus ecclesiasticis negotiis utantur. Insuper praecipimus ut praedictorum Vicariatuum Apostolicorum territorialis divisio fiat per naturales limites fluminis Aluvay, quod ab urbe Maleatur Malabaricam regionem intersecat usque ad mare prope urbem Cochin, ita ut primus Vicariatus sit septentrionalis cum ordinaria residentia Apostolici Vicarii in urbe Trichoor unde appellationem sumet, alter sit meridionalis cum ordinaria residentia prope Vicarii Apostolici in urbe Cottayam, a qua nomen accipiet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat et in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam caussarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Benedicti XIV Praedecessoris Nostri recol. mem. super divisione materiarum, aliisque speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Porro praecipimus ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XX maii MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI.

EPISTOLA

Ad Mauritium d'Hulst

DE CONVENTU VIRORUM CATHOLICORUM SCIENTIIS HUMANIS EXCELLENTIUM.

20 MAII 1887.

QUOD secundo Rothomagensi Conventu placuerat ut ex variis terrarum partibus Parisios ad conventum vocarentur catholici viri qui ingenio doctrinaque putarentur excellere, id iam ordiri vos ex ipso Venerabili Fratre archiepiscopo Parisiensium cognovimus. Quin etiam istius consilii vestri caussam modumque intelleximus, quia ratio tota tuis est explicata litteris ad Nos datis.

Probatur conventus finis, qui est communicare consilia, iungere vires, et scientiae fructus varios Ecclesiae ac philosophiae commodare;

Res quidem suscepta vobis est honesta per se, et ad nomen vestrum decora : eademque esse potest ad germanam scientiarum dignitatem non minus quam ad catholicae fidei praesidium frugifera. Hoc enim est, ut profitemini, vobis propositum : communicare inter vos consilia, ingeniique vires tanquam societate quadam ob eam caussam coniungere ut possitis varios doctrinae vestrae fructus, eos nominatim quos naturae vel antiquitatis indagatio peperit, Ecclesiae philosophiaeque christianae commodare. Quod habet nunc maiorem fortasse quam ullis retro temporibus opportunitatem. Siquidem rationalismi ac naturalismi fautores, metaphysicae refutationem experti, mutato genere locoque certaminis, malunt iam e rebus quae intelliguntur ad eas quae cernuntur descendere : propertereaque historiae leges ad arbitrium saepe confingunt, nec raro incerta pro certis affirmant, commentitia pro veris : in primisque conantur adversus mundi opificem auctoremque naturae Deum naturam ipsam percontari ac propemodum sollicitare repugnantem.

Nunquam desiderati sunt Ecclesiae defensores strenui qui adversarios illo ipso in campo, quem diximus, ac simili armatu persequerentur; sed singuli magis quam acies pugnavere. Contra viribus vos atque ordine consociati, alteri ab

alteris scienter adiuti, in philosophia christiana patrocinioque rerum sanctissimarum, quas divinitus accepimus, facile potestis et maiora efficere et plura complecti.

ratio sequenda et modus adhibendus indicantur:

Verumtamen interest magnopere quam vos rationem, quem sitis adhibituri modum. Ac nominatim, cum rerum divinarum maior sit et altitudo et gravitas quam ut digne queant pro concione tractari, in pluribusque vestrum ea ipsa desideretur auctoritas quae a sacris ordinibus proficiscitur, idcirco in rebus ipsis quae habeant cum intima Theologia cognationem, sic unusquisque agat physicum, sic historicum, vel mathematicum, vel criticum, ut nunquam sibi sumat eam quae propria est theologi personam. Omnino operam vestram contineri iis finibus iudicamus oportere quos videmus, praesertim in litteris tuis, dilecte fili, opportune descriptos : ita quidem ut vestri officii hoc utique putetis esse adiumenta disciplinarum vestrarum, velut arma quaedam ad se tuendam, Theologiae ministrare : quod perinde est ac testimonium debitum perhibere veritati. Hac via communes labores vestros exitus quem optamus divino munere consequetur ; iterumque apparebit res omnes et singulas quas hominum generi ad credendum sperandumque tradidit Deus, ab iis quas ratio humana reperit confirmari ; et inter utrumque genus non modo discrepantiam esse nullam, sed esse oportere, uti est, summam perfectissimamque concordiam. Neque enim dubitari potest, quod ipsa interdum ethnicorum philosophia perspexit, in bonitate praedicanda et virtute et sapientia Dei, totum, quantus est, canere mundum.

abstinendum a tractatione rerum proprie theologicarum.

Coelestium munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte fili, egregiisque viris qui tecum in hac caussa, de qua loquuti sumus, operam suam ponunt, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX maii MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno decimo.

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

Ad S. R. E. Cardinales

DE COMPOSITIS REBUS GERMANICIS.

EPISCOPORUM ordinem, amplissimumque Collegium vestrum hodiernis cooptationibus non ante supplebimus, quam aliquid dixerimus utique de una re maxime, de qua etsi iam satis nosse debetis, tamen, quia gravioris est momenti, in hoc loco et ex Nobismetipsis audietis, ut arbitramur, libentes. Nimirum de eo intelligi volumus, quod est novissimo tempore ad caussam catholici nominis sublevandam in Borussia actum. Transacta, Dei beneficio, res est diuturni et magni negotii, in quam incubuimus toto animo; omnique ratione, quae minoris pretii videretur esse, posthabita, salus animorum suprema lex Nobis, ut debebat, fuit. Neque enim nescitis, quo res loco essent multos jam annos : quin etiam non sine magna sollicitudine Nobiscum deplorare saepe consuevistis vel Ecclesias sine Episcopis vel Paroecias sine curionibus relictas : item diminutam religionis publicae libertatem : interdicta Clericorum Seminaria : paucitatem sacerdotum necessario consecutam, eamque tantam, ut saepenumero per quos satisfacere divini cultus muneribus possent, et ea curare, quae ad expiandum animum pertinent, plurimi ex nostris non haberent.

23 MAII 1887.

Memoratur tristis conditio in quam redacta fuerat Ecclesia in Borussia.

Quorum magnitudine malorum hoc angebamur acrius, quod ea nec sanare soli possemus, nec leviora facere, praesertim potestate Nostra multimodis intercepta. Illinc igitur, unde oportebat, remedia petere instituimus : idque maiore cum fiducia, quia operae Nostrae sciebamus, praeter Episcopos, sincere valideque suffragari catholicos e coetu legum latorum, constantissimos in optima caussa viros, quorum instantia concordiaque fructus Ecclesia cepit non exiguos, expectatque in posterum pares. Voluntati autem Nostrae conceptaeque spei non mediocre momentum ex eo accessit, quod augusto Germanorum Imperatori, itemque rerum publicarum administris aequitatem et consilia pacis placere

Ad remedium afferendum Pontificem egregie adiuverunt Episcoporum zelus,

catholicorum legumlatorum constantia,

sine ulla dubitatione cognoveramus. Revera eorum, quae graviora essent, incommodorum sublevatio mature quaesita: deinde in varias conditiones pedetentim convenit; nuperrimeque nova lege condita, uti scitis, superiorum iussa legum partim sunt deleta funditus, partim magnopere mitigata: certe asperrimo illi certamini, quod Ecclesiam afflixit, nec civitati profuit, finis impositus. Ista quidem per laborem plurimum, et consiliis vestris ad multa adjuvantibus, tandem perfecta esse gaudemus; proptereaque solatori ac vindici Ecclesiae suae Deo singulares gratias et agimus et habemus.

Imperatoris eiusque ministrorum aequitas.

Quod si nonnullae restant, quae catholici non sine caussa desiderent, meminisse oportet, plura esse et longe maiora, quae consecuti sumus. Horum caput est, potestatem Pontificis romani, in rei catholicae regimine, apud Borussos externam haberi desitum: et ut eam deinceps, nulla re impediente, exerceri liceat, provisum. Neque minoris illa esse intelligitis, Venerabiles Fratres, suam Episcopis in gerendis Dioecesibus redditam libertatem: seminaria clericorum restituta: plures religiosorum sodalium ordines postliminio revocatos. Quod ad reliqua, nequaquam cunctabimur in cursu consiliorum Nostrorum: perspectaque augusti Principis voluntate, itemque animo ministrorum eius, est sane cur velimus, ut, quotquot sunt ex ea gente catholici, erigant sese et confirment: meliores enim res non diffidimus consecuturas.

Multa bona acquisita;

alia acquirenda.

Iuvat vero ad ceteras Germaniae partes intueri: siquidem haud temere existimamus fore, ut alibi etiam, quam in Borussiae finibus, aequiora catholico nomini consilia ineantur.

De caeteris Germaniae partibus, bene speratur.

Spem auget significatio voluntatis a magno Duce Hessiae Darmstadiensis nuperrime facta: qui scilicet his ipsis diebus ad Nos legatum misit de legibus principatus sui ad libertatem Ecclesiae catholicae convenienter temperandis. Quod quam acciderit libentibus et cupientibus Nobis, vix attinet dicere: nihil enim tam vehementer velimus, quam tribui Nobis, divino munere, tantum et ad vivendum spatii, et ad res gerendas facultatis, ut contemplari rem catholicam

aliquando liceret Germania tota compositam, securamque iuris sui et legum tutela defensam ad incrementa salutaria sine offensione progredientem.

23 MAII 1887.

Pontificis cogitationes ad omnes populos intentae.

Sed cogitationes Nostrae non eisdem, quibus Germania finibus, circumscriptae tenentur. Ubicumque auctoritati paretur Pontificis romani, illuc cura, opera, vigilantia Nostra feruntur : nulloque loci, nullo gentis discrimine, quoscumque fides catholica consociat, caritas Nostra, pari modo, uti debet, comprehendit universos. Qua caritate permoti, conamur, nec apud eos solum quos memoravimus, conditionem catholicorum efficere meliorem : orandusque enixe Deus est, ut nominatim coeptis jam rebus benigne velit successus prosperos dare.

Desiderium exprimitur ut tandem tollatur dissidium inter Ecclesiam et Italiam, Pontifice in plenam libertatem restituto.

Pacificandi studium, quo sumus erga gentes omnes affecti utinam possit, qua velle debemus ratione prodesse, Italiae, quam cum romano Pontificatu tanta Deus necessitudine coniunxit, quaeque maxime Nobis cara est ipsius commendatione naturae. Nos quidem, quod non semel diximus, et diu et vehementer hoc expetimus, ut omnium Italorum animi secura tranquillitate potiantur, et funestum illud cum romano Pontificatu dissidium aliquando tollatur : verum incolumi justitia et sedis Apostolicae dignitate, quae sunt non tam populari iniuria, quam coniuratione praesertim sectarum violatae. Scilicet ad concordiam aditum esse oportet eam rerum conditionem, in qua romanus Pontifex nullius sit potestati subiectus, et plena, eaque veri nominis libertate, prout omnia iura postulant, fruatur. Quo facto, si vere iudicari velit, non modo nihil detrimenti res Italica caperet, sed multum sibi adiumenti ad incolumitatem prosperitatemque adjungeret.

Ceterum, decrevimus honore Collegii vestri duos viros afficere, quorum vobis nota sunt ornamenta virtutum : ALOISIUM PALLOTTI, Auditorem Camerae Nostrae Apostolicae, qui variis muneribus gestis diligentiam usumque rerum cum amore Sedis Apostolicae semper coniunxit : AUGUSTINUM BAUSA, sodalem Ordinis Dominiciani Magistrum sacri Palatii Nostri Apostolici, pietatis doctrinaeque laudem modestia cumulantem.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Diaconos Cardinales.

ALOISIUM PALLOTTI

AUGUSTINUM BAUSA

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA

Ad Archiepiscopum Cataniensem

DE COLLEGIO S. ANSELMI PROXIME APERIENDO.

GIA altra volta, nel Gennaro di questo stesso anno vi dirigemmo una lettera nella quale, parlando del Collegio di S. Anselmo, confermammo le risoluzioni del Congresso degli Abati Cassinesi tenutosi poco prima per volontà Nostra in Roma; e nel tempo stesso facevamo conoscere l'interesse speciale el il vivo desiderio di veder presto rivivere ai buoni studî e all' osservanza monastica una sì bella istituzione. Scorso ora il tempo necessario ad avviare le cose e ad assicurare all' opera il concorso anche di altri Monaci benedettini, secondo che si disponeva in quella stessa Nostra lettera, crediamo non sia più da indugiare a ridurre in atto il divisato disegno: la ricorrenza del Nostro Giubeleo sacerdotale Ci sembra offrirne opportuna occasione. Non è certo possibile per tale epoca avere già apparecchiato un locale proprio, acconcio allo sviluppo e a tutti i bisogni di una istituzione di tal natura. Ma intanto, finchè questo locale si va apprestando, il collegio avrà la sua provvisoria stanza in altro palazzo, vicino alla Nostra pontificia dimora e all' ombra del Principe degli Apostoli. Crediamo poi che voi, Venerabile Fratello, meglio di altri possiate dare a quest' impresa la mano con certa speranza di prospero successo.

10 IUNII 1887.

Collegii restitutio pridem decreta.

Instans rei exequendae tempus.

Voi con piena soddisfazione avete presieduto il Congresso, in cui questo argomento fu ampiamente discusso; voi conoscete benissimo i Nostri intendimenti a questo riguardo; la vostra lunga esperienza degli uomini el delle cose vi facilita grandemente l'azione. Quindi è a voi che diamo per ora l'autorità e il titolo di Superiore del nuovo Collegio, e il cómpito di riaprirlo, con facoltà di assumere anche qualche altro Monaco di vostra fiducia, il quale possa rappresentarvi nella vostra assenza ed asservi di aiuto. Ed affinchè tutto

Commissa executio ipsi Archiepiscopo.

avvenga secondo i Nostri voti, imploriamo sopra di voi nella più larga copia i favori del Cielo: dei quali intendiamo vi sia pegno l'Apostolica benedizione, che di tutto cuore impartiamo a voi e a tutti quelli che concorreranno con voi al compimento dell' opera affidatavi.

Dato in Roma, presso S. Pietro a di 10 giugno 1887, anno decimo del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

Ad Cardinalem Rampolla Status Secretarium

DE GUBERNATIONIS RATIONE

A PONTIFICE INITA.

QUANTUNQUE Le siano abbastanza noti gl'intendimenti che Ci guidano nel governo della Chiesa universale, pure crediamo opportuno di riassumerli brevemente e meglio dichiararli a Lei, che per ragione del nuovo officio, a cui la Nostra fiducia l'ha chiamata, deve prestarci più da vicino il suo concorso, e, secondo la Nostra mente, spiegare la sua azione.

15 IUNII 1887.

Pontifici ab initio propositum, beneficam Religionis et Ecclesiae vim applicare ad animarum salutem et societatis felicitatem;

In mezzo ai gravissimi pensieri, che sempre Ci ha dato e Ci dà il formidabile peso del Sommo Pontificato valse non poco a riconfortarci la persuasione, altamente radicata nell' animo Nostro, della grande virtù di cui è ricca la Chiesa non solamente per la salvezza eterna delle anime, che ne è il fine vero e proprio, ma anche a salute di tutta l'umana società. — E fin dal principio Ci proponemmo di adoperarci costantemente a risarcire i danni recati alla Chiesa dalla rivoluzione e dall' empietà, e nel tempo stesso a far sentire a tutta l' umana famiglia, estremamente bisognosa, l' alto conforto di questa divina virtù. — E poichè i nemici da lungo tempo si studiano con ogni mezzo di togliere alla Chiesa ogni influenza sociale, e di allontanare da essa popoli e governi, ai quali con tutte le arti si provarono di renderla sospetta e di farla credere nemica; dal canto Nostro l'abbiamo sempre mostrata, qual' è veramente, la migliore amica e benefattrice dei principi e dei popoli; e Ci siamo studiati di riconciliarli con essa, rannodando o stringendo vie più tra la S. Sede e le diverse nazioni amichevoli rapporti, e ristabilendo dovunque la pace religiosa.

Tutto Ci consiglia, Signor Cardinale, a tenerci costantemente su questa via; e non fa d'uopo qui dichiararne particolarmente i motivi. Accenneremo solo al gravissimo bisogno che ha la società di tornare ai veri principî di or-

etenim in sola Religione et Ecclesia efficax prostat remedium praesentibus populorum necessitatibus:

dine, tanto sconsigliatamente abbandonati e negletti. Per questo abbandono si è rotta tra popoli e sovrani e tra le diverse classi sociali quella pacifica armonia, nella quale è riposta la tranquillità e il pubblico benessere; si è indebolito il sentimento religioso e il freno del dovere; per cui è sorto vigoroso e si è diffuso largamente lo spirito d'indipendenza e di rivolta, che va fino all' anarchia e alla distruzione della stessa sociale convivenza. — Il male cresce a dismisura e dà a pensare seriamente a molti uomini di governo, i quali cercano in ogni modo di arrestare la società sul fatale pendìo e di richiamarlo a salute. E bene sta; chè con tutte le forze si deve fare argine ad un torrente così rovinoso. — Ma la salvezza non verrà senza la Chiesa: senza la salutare influenza di lei, che sa indirizzare con sicurezza le menti alla verità, e formare gli animi alla virtù e al sacrificio, nè la severità delle leggi, nè i rigori della giustizia umana, nè la forza armata varranno a scongiurare il pericolo presente, e molto meno a ristabilire la società sulle naturali ed inconcusse sue fondamenta.

hinc veritas inculcanda, concordia stabilienda, libertas obtinenda.

Persuasi di questa verità, crediamo sia còmpito Nostro di continuare quest' opera di salute, sia col propagare le sante dottrine del Vangelo, sia col riamicare gli animi di tutti alla Chiesa ed al Papato, sia col procurare a questo e a quella una maggior libertà, sì che siano in grado di compiere con largo frutto la loro benefica missione nel mondo.

Pontificia actio secundum gentium conditiones explicanda:

A quest' opera Ci è piaciuto, Signor Cardinale, di associarla, molto ripromettendoci dalla sua esperienza negli affari, dalla sua attività e provata devozione alla S. Sede, e dal suo attaccamento alla Nostra persona. Al conseguimento del nobilissimo scopo, Ella insiem con Noi vorrà dirigere da per tutto l'azione della S. Sede, applicandola però alle varie nazioni, secondo i bisogni e le speciali condizioni di ciascuna.

in Austria,

Nell' Austria-Ungheria la pietà insigne dell' augusto Imperatore e Re Apostolico e la sua devozione verso la S. Sede, nella quale sono con lui uniti anche gli altri membri dell' I. e R. Famiglia, fa sì che esistano tra la S. Sede e quell' Impero le migliori relazioni. Mercè le quali, ed il

senno degli uomini che hanno la fiducia del loro augusto Sovrano, sarà possibile promuovere nell' Austria-Ungheria gl' interessi religiosi, toglierne gl' impedimenti, e regolare di pieno accordo le difficoltà che potrebbero incontrarsi. *15 IUNII 1887.*

Quindi il Nostro pensiero si volge con ispeciale interesse alla Francia, nazione nobile e generosa, feconda di opere e d'istituzioni cattoliche, sempre cara ai Pontefici, che la riguardarono come la figlia primogenita della Chiesa. Noi conosciamo per prova la devozione, che alla Sede Apostolica professano i suoi figli, dai quali più volte avemmo motivi della più sentita consolazione. Questo stesso sentimento di speciale dilezione che abbiamo per essa, Ci fa provare una più viva amarezza per tutto ciò che vediamo ivi accadere a detrimento della religione e della Chiesa. E facciamo i più fervidi voti perchè il male si arresti e, cessate le diffidenze, nella osservanza, secondo la lettera e secondo lo spirito, di patti sollennemente sanciti possa sempre regnare fra la S. Sede e la Francia la desiderata concordia. *in Galliis,*

Nè meno Ci è a cuore la Spagna, che per la sua fede inconcussa meritò il glorioso titolo di nazione cattolica, e dalla fede ripete tanta parte della sua grandezza. Ella, Signor Cardinale, ne ha conosciuto da vicino i pregi e ne ha conosciuto pure i particolari bisogni, primo fra tutti quello dell' unione tra cattolici nella difesa generosa e disinteressata della religione, nella sincera devozione alla S. Sede, nella scambievole carità, affinchè non si lascino transportare da private mire nè da spirito di contesa. Le intime relazioni, che ha con Noi quella fedele e generosa nazione, la pietà della vedova Regina Reggente e il suo filiale ossequio verso il Vicario di Cristo, Ci fanno sicuri, che le Nostre paterne sollecitudini per gl'interessi cattolici e la prosperità di quel Regno saranno efficacemente favorite e secondate. *in Hispania et in America meridionali,*

Le strette attinenze di origine, di lingua e di religione, come ancora la fermezza medesima nell' avita fede, che uniscono alla Spagnuola le popolazioni dell'America di mezzodì, Ci invitano a non disgiungerle nelle speciali cure che saremo per rivolgere del pari a comune loro vantaggio.

Non possiamo tacere della nazione Portoghese, che tanto

in Lusitania contribuì alla propagazione della fede cattolica in lontani paesi, e che alla S. Sede è così strettamente unita con legami scambievoli di devoto ossequio per una parte e di paterna corrispondenza per l'altra. Con essa abbiamo potuto recentemente comporre di comune accordo e con reciproca soddisfazione la gravissima controversia circa il patronato delle Indie Orientali: Ci ripromettiamo di trovare anche in avvenire in chi ne regge i destini le stesse favorevoli disposizioni, che Ci mettano in grado di dare sempre maggiore incremento alla religione cattolica così in quel regno, come nelle sue colonie.

in Belgio, A queste nazioni cattoliche uniamo anche il Belgio, dove il sentimento religioso è sempre così vivo ed operoso, e dove per lo specialissimo affetto che da lungo tempo nutriamo per esso, vorremmo, che l'azione benefica della Chiesa si diffondesse sempre più largamente nella vita pubblica e privata.

in Borussia et in caeteris imperii Germanici partibus, È necessario inoltre di continuare in Prussia l'opera della pacificazione religiosa, finchè sia condotta al suo compimento. — Il molto che si è ottenuto finora, l'animo ben disposto di S. M. l'Imperatore e la buona volontà da cui vediamo sempre animati coloro che ivi tengono la somma delle cose, Ci fanno sperare, che non saranno inutili le Nostre cure per migliorare ancora di più le condizioni della Chiesa cattolica in quel Regno, e soddisfare così le giuste brame di quelle popolazioni cattoliche, per la loro formezza e costanza tanto benemerite della religione. — E le stesse cure intendiamo estendere altresì ai diversi Stati della Germania, *nominatim in Bavaria;* affinchè siano tolte di mezzo o modificate le leggi, che non lasciano alla Chiesa la libertà necessaria per l'esercizio del suo spirituale potere. Voglia il cielo, che tutti si risolvano a mettersi per questa via! Ma un voto particolare facciamo pel regno cattolico di Baviera, col quale la S. Sede ha vincoli speciali, e dove bramiamo ardentemente, che la religione abbia una vita sempre più prospera e feconda.

in ditionibus Anglorum Saremmo lietissimi, se anche in altri Stati acattolici potessimo far penetrare le buone e salutari influenze della Chiesa e portare in essi alla causa dell' ordine, della pace e

del benessere pubblico il Nostro concorso: specialmente dove sono, come accade nei vasti dominî dell' Inghilterra, sudditi cattolici in gran numero, ai quali dobbiamo per officio tutte le sollecitudini del supremo Apostolato: o dove, come nelle contrade della Russia, le difficili condizioni in cui si trovano la chiesa e i sudditi cattolici renderebbero le Nostre cure più necessarie e più opportune. — E poichè il potere di cui siamo investiti abbraccia di sua natura tutti i tempi e tutti i luoghi, è debito Nostro curare l'incremento della religione, dove essa è già ampiamente stabilita, come in molti Stati di America; favorire le missioni nei paesi ancor barbari ed infedeli. — È egualmente delle Nostre sollecitudini richiamare all' unità i popoli che miseramente se ne separarono. Tra questi ricordiamo quelli d'Oriente, un tempo sì fecondi in opere di fede e sì gloriosi; e innanzi a tutti, i popoli della Grecia, che Noi, sull' esempio di molti Nostri Predecessori, ardentemente bramiamo di veder ritornare al centro dell' unità cattolica e risorgere all' antico splendore.

15 IUNII 1887.

in Russia,

in Statibus Foederatis Americae septentrionalis,

in Oriente.

Ma vi ha un altro punto, che richiama a sè di continuo la Nostra attenzione, ed è per Noi e per la Nostra Apostolica autorità del più alto interesse; intendiamo dire dell'attuale Nostra condizione in Roma a cagione della funestà discordia tra l'Italia, qual'è ora officialmente costituita, ed il romano Pontificato. — Vogliamo in argomento sì grave aprirle pienamente il Nostro pensiero.

Peculiaris Italiae conditio.

Più volte abbiamo espresso il desiderio di vedere finalmente composto il dissidio; ed anche recentemente, nell'Allocuzione Concistoriale del 23 maggio decorso abbiamo attestato l'animo Nostro propenso ad estendere l'opera di pacificazione, come alle altre nazioni, così in modo speciale all' Italia per tanti titoli a Noi cara e strettamente congiunta. — Qui però per giungere a stabilire la concordia non basta, come altrove, provvedere a qualche interesse religioso in particolare, modificare o abrogare leggi ostili, scongiurare disposizioni contrarie che si minaccino; ma si richiede inoltre e principalmente, che sia regolata come conviene la condizione del Capo supremo della Chiesa, da molti anni

per violenze ed ingiurie addivenuta indegna di lui, ed incompatibile colla libertà dell' Apostolico officio. — Per questo nella citata Allocuzione avemmo cura di mettere a base di questa pacificazione la giustizia, e la dignità della Sede Apostolica, e di reclamare per Noi uno stato di cose, nel quale il romano Pontefice non debba essere soggetto a nessuno, ed abbia a godere di una piena e non illusoria libertà. — Non v' era luogo a frantendere le Nostre parole e molto meno a snaturarle, torcendole ad un significato del tutto contrario al Nostro pensiero. Da quelle usciva evidente il senso inteso da Noi, essere cioè condizione indispensabile alla pacificazione in Italia rendere al romano Pontefice una vera sovranità. Giacchè nello stato presente di cose è chiaro, che Noi siamo più che in potere Nostro in potere di altri, dal cui volere dipende di variare, quando e come piaccia, secondo il mutar degli uomini e delle circostanze, le condizioni stesse della Nostra esistenza. *Verius in aliena potestate sumus, quam Nostra*, come più volte abbiamo ripetuto. E perciò sempre, nel corso del Nostro Pontificato, secondo che era debito Nostro, abbiamo rivendicato pel romano Pontefice un' effettiva sovranità, non per ambizione, nè a scopo di terrena grandezza, ma come vera ed efficace tutela della sua indipendenza e libertà.

Romanus Pontifex ex divina ordinatione a quacumque potestate humana liber et independens:

Infatti l'autorità del sommo Pontificato instituita da GESU CRISTO e conferita a S. Pietro, e per esso ai suoi legittimi Successori, i romani Pontefici, destinata a continuare nel mondo, fino alla consumazione dei secoli, la missione riparatrice del Figlio di Dio, arricchita delle più nobili prerogative, dotata di poteri sublimi, proprî e giuridici, quali si richiedono pel governo di una vera e perfettissima società, non può per la sua stessa natura e per espressa volontà del suo divin Fondatore sottostare a veruna potestà terrena, deve anzi godere della più piena libertà nell'esercizio delle sue eccelse funzioni. — E poichè da questo supremo potere e dal libero esercizio di esso dipende il bene di tutta quanta la Chiesa, era della più alta importanza, che la nativa sua indipendenza e libertâ fosse assicurata garantita difesa attraverso i secoli, nella persona di chi ne era investito, con

quei mezzi, che la divina Provvidenza avesse riconosciuti acconci ed efficaci allo scopo. — E così, uscita la Chiesa vittoriosa dalle lunghe ed acerbe persecuzioni dei primi secoli, quasi a manifesto suggello della sua divinità; passata l'età, che puó dirsi d'infanzia, e giunto per essa il tempo di mostrarsi nel pieno sviluppo della sua vita, cominciò pei Pontefici di Roma una condizione speciale di cose, che a poco a poco, pel concorso di provvidenziali circonstanze, finì collo stabilimento del loro Principato civile. Il quale con diversa forma ed estensione, si è conservato pur tra le infinite vicende di un longo corso di secoli fino a' dì nostri, recando all'Italia e a tutta Europa, anche nell'ordine politico e civile, i più segnalati vantaggi. — Sono glorie dei Papi e del loro Principato i barbari respinti od inciviliti; il despotismo combattuto e frenato; le lettere, le arti, le scienze promosse; le libertà dei Comuni; le imprese contro i Musulmani, quando erano essi i più temuti nemici non solo della religione, ma della civiltà cristiana e della tranquillità dell'Europa. — Una istituzione sorta per vie sì legittime e spontanee, che ha per sè un possesso pacifico ed incontestato di dodici secoli, che contribuì potentemente alla propagazione della fede e della civiltà, che si è acquistata tanti titoli alla riconoscenza dei popoli, ha più di ogni altra il diritto di essere rispettata e mantenuta : nè perchè una serie di violenze e d'ingiustizie è giunta ad opprimerla, possono dirsi cambiati, riguardo ad essa, i disegni della Provvidenza. — Anzi se si considera, che la guerra mossa al Principato civile dei Papi, fu opera sempre dei nemici della Chiesa e in quest'ultimo tempo opera principale delle sètte, che, coll'abbattere il dominio temporale, intesero spianarsi la via ad assalire e combattere lo stesso spirituale potere dei Pontefici, questo stesso conferma chiaramente essere anche oggi, nei disegni della Provvidenza, la sovranità civile dei Papi ordinata, come mezzo al regolare esercizio del loro potere apostolico, come quella che ne tutela efficacemente la libertà e l'indipendenza.

15 IUNII 1887.

ad quam libertatem et independentiam tuendam divina providentia institutus civilis principatus;

huius principatus origo legitima;

exercitium beneficum,

iniusta destructio per violentiam, in odium religionis et spiritualis potestatis,

perseverans necessitas.

Quanto si dice in generale del civil Principato dei Pontefici, vale a più forte ragione ed in modo speciale di Roma.

In specie Roma sacro et indissolubili nexu cum Vicario Christi ligata,

I suoi destini si leggono chiaramente in tutta la sua storia; chè, come nei consigli della Provvidenza tutti gli umani avvenimenti furono ordinati a Cristo e alla Chiesa, così la Roma antica e il suo impero furono stabiliti per la Roma cristiana; e non senza speciale disposizione a quella metropoli del mondo pagano, rivolse i passi il Principe degli Apostoli S. Pietro per divenirne il Pastore e trasmetterle in perpetuo l'autorità del supremo Apostolato. — Per tal guisa le sorti di Roma furono legate, di una maniera sacra ed indissolubile,a quelle del Vicario di Gesù Cristo : e quando, allo spuntare di tempi migliori, Costantino il grande volse l'animo a transferire in Oriente la sede del romano impero, con fondamento di verità può ritenersi, che la mano della Provvidenzza lo guidasse, perchè meglio si compissero sulla Roma dei Papi i nuovi destini. Certo è che dopo quell'epoca, col favore dei tempi e delle circostanze, spontaneamente, senza offesa e senza opposizione di alcuno, per le vie più legittime i Pontefici ne divennero anche civilmente signori, e come tali la tennero fino ai dì nostri. — Non occorre qui ricordare gl'immensi beneficî e le glorie procacciate dai Pontefici a questa loro prediletta città, glorie e beneficî, che sono scritti del resto a cifre indelebili, nei monumenti e nella storia di tutti i secoli. È pur superfluo notare, che questa Roma porta in ogni sua parte profondamente scolpita l'impronta Papale; e che essa appartiene ai Pontefici per tali e tanti titoli, quali nessun Principe ha mai avuto su qualsivoglia città del suo regno. — Importa però grandemente osservare, che la ragione della indipendenza e della libertà Pontificia nell'esercizio dell'apostolico ministero, piglia una forza maggiore e tutta propria quando si applica a Roma, sede naturale dei Sommi Pontefici, centro della vita della Chiesa, capitale del mondo cattolico. Qui, dove il Pontefice ordinariamente dimora, dirige, ammaestra, comanda, affinchè i fideli di tutto il mondo possano con piena fiducia e sicurtà prestargli l'ossequio, la fede, l'obbedienza che in coscienza gli debbono, qui, a preferenza, è necessario, che Egli sia posto in tale condizione d'indipendenza, nella quale non solo non sia menomamente impedita

in eius dominio divinitus posita,

pontificio charactere insignita;

multiplici ratione necessaria Pontificis in urbem paterna dominatio.

da chicchesia la sua libertà, ma sia pure evidente a tutti che non lo è; e ciò non per una condizione transitoria e mutabile ad ogni evento, ma di natura sua stabile e duratura. Qui, più che altrove, deve esser possibile e senza timore d'impedimenti, il pieno esplicamento della vita cattolica, la solennità del culto, il rispetto e la pubblica osservanza delle leggi della Chiesa, l'esistenza tranquilla e legale di tutte le istituzioni cattoliche.

15 IUNII 1887.

Da tutto ciò è agevole comprendere, come s'imponga ai romani Pontefici, e quanto sia sacro per essi il dovere di difendere e mantenere la civile sovranità e le sue ragioni; dovere reso anche più sacro dalla religione del giuramento. Sarebbe follia pretendere, che essi stessi consentissero a sacrificare colla sovranità civile, ciò che hanno di più caro e prezioso; vogliam dire la propria libertà nel governo della Chiesa, per la quale i loro Predecessori hanno in ogni occasione sì gloriosamente combattuto.

Strictissima obligatio Pontificis ad civilem principatum vindicandum;

Noi certo col divino aiuto non falliremo al Nostro dovere, e fuori del ritorno ad una vera ed effettiva sovranità, qual si richiede dalla Nostra indipendenza e dalla dignità del Seggio Apostolico, non veggiamo altro adito aperto agli accordi e alla pace. — La stessa cattolicità tutta quanta, sommamente gelosa della libertà del suo Capo, non si acquieterà giammai finchè non vegga farsi ragione ai giusti reclami di Lui.

eius restitutio conciliationis conditio.

Sappiamo che uomini politici, dall'evidenza delle cose costretti a riconoscere, che la condizione presente non è quale si converrebbe al romano Pontificato, vanno escogitando altri progetti ed espedienti per migliorarla. Ma sono questi vani ed inutili tentativi; e tali saranno tutti quelli di simil natura, che sotto speciose apparenze lasciano di fato il Pontefice in istato di vera e reale dipendenza. Il diffetto sta nella natura stessa delle cose, quali sono ora costituite, e nessun estrinseco temperamento o riguardo che si usi può mai valere a rimuoverlo. — È ovvio invece prevedere dei casi, in cui la condizione del Pontefice diventi anche peggiore, sia per la prevalenza di elementi sovversivi e di uomini che non dissimulano i loro propositi contro la persona

Absque principatu status Pontificis varia ratione deterior,

e l'autorità del Vicario di Cristo; sia per avvenimenti guerreschi e per le molteplici complicazioni, che da questi potrebbero nascere a suo danno. — Fino ad ora l'unico mezzo, di cui si è servita la Provvidenza per tutelare, come si conveniva, la libertà dei Papi, è stata la loro temporale sovranità; e quando questo mezzo mancò, i Pontefici furono sempre o perseguitati, o prigioni, o esuli, o certo in condizione di dipendenza ed in continuo pericolo di vedersi respinti sopra l'una o l'altra di queste vie. — È la storia di tutta la Chiesa che lo attesta.

nunquam ab Ecclesia catholica admittendus.

Si spera pure e si fa assegnamento sul tempo, quasi che, col prolungarsi, possa divenire accettabile la condizione presente. — Ma la causa della loro libertà è pei Pontefici e per la cattolicità tutta quanta, interesse primo e vitale; e quindi si può esser certi, che essi la vorrano garantita sempre e nel modo più sicuro. Quei che la sentono diversamente, non conoscono o fingono di non conoscere di quale natura sia la Chiesa, quale e quanta la sua potenza religiosa morale e sociale, cui nè le ingiurie del tempo, nè la prepotenza degli uomini varranno mai a fiaccare. Se di ciò si rendessero conto ed avessero senno veramente politico, essi non penserebbero solo al presente, nè si affiderebbero a fallaci speranze per l'avvenire; ma col dare essi stessi al Pontefice romano quello che Egli a buon dritto reclama, toglierebbero una condizione di cose piena d'incertezze e di pericoli, assicurando per tal guisa i grandi interessi e le sorti stesse dell'Italia.

Unio cum Pontificatu supremo Italiae causa felicitatis :

Non è da sperare, che questa Nostra parola sia intesa da quegli uomini, che sono cresciuti nell' odio contro la Chiesa ed il Pontificato: costoro, a dir vero, come odiano la religione, così non vogliono il vero bene della loro terra natale. Ma coloro, che non imbevuti da vieti pregiudizî, nè animati da spirito irreligioso, giustamente apprezzano gl' insegnamenti della storia e le tradizioni italiane, e non disgiungono l' amore della Chiesa dall' amore della patria, debbono riconoscere con Noi che nella concordia col Papato sta appunto per l' Italia il principio più fecondo della sua prosperità e grandezza.

Di che è conferma il presente stato di cose. — Omai è fuori di dubbio, e gli stessi uomini politici italiani lo confessano, che la discordia con la S. Sede non giova ma nuoce all' Italia, creandole non poche nè lievi difficoltà interne ed esterne. — All' interno, disgusto dei cattolici, al vedere tenute in niun conto e spregiate le ragioni del Vicario di GESU CRISTO — turbamento delle coscienze — aumento d'irreligione e d'immoralità, elementi grandemente nocivi al pubblico bene. — All'estero, malcontento de'cattolici, che sentono compromessi insieme colla libertà del Pontefice i più vitali interessi della cristianità : — difficoltà e pericoli, che anche nell'ordine politico possono da ciò derivare all' Italia, dai quali desideriamo con tutto l' animo sia preservata la patria nostra. — Si faccia cessare da chi può e deve il conflitto, ridonando al Papa il posto che Gli conviene, e tutte quelle difficoltà cesseranno d' un tratto. Anzi l'Italia se ne avvantaggerebbe grandemente in tutto ciò che forma la vera gloria e felicità di un popolo, o che merita il nome di civiltà ; giacchè come'ebbe dalla Provvidenza in sorte di essere la nazione più vicina al Papato, così è destinata a riceverne più copiosamente, se non lo combatte o vi si oppone, le benefiche influenze.

15 IUNII 1887.

dissidium vero causa malorum

intus

et foris.

Si suole opporre, che per ristabilire la sovranità pontificia si dovrebbe rinunziare a grandi vantaggi già ottenuti, non tenere alcun conto dei progressi moderni,tornare indietro fino al medio evo. Ma non sono questi motivi che valgano.

Ex restitutione principatus pontificii nullum sequeretur detrimentum politicum :

A qual bene infatti che sia vero e reale, si opporrebbe la sovranità pontificia? È indubitato, che le città e le regioni già soggette al principato civile dei Pontefici furono, per ciò stesso, preservate più volte dal cadere sotto dominio straniero, e conservarono sempre indole e costumi schiettamente italiani. Nè potrebbe anche oggi essere diversamente; giacchè il Pontificato se per l' alta sua missione, universale e perpetua, appartiene a tutte le genti, per ragione della Sede, qui assegnatagli dalla Provvidenza, è specialmente gloria italiana. — Che se verrebbe così a mancare l' unità di Stato, Noi, senza entrare in considerazioni che tocchino il merito

unitas enim gubernii seu status maioribus bonis compensaretur,

intrinseco della cosa, e solo collocandoci per poco sul terreno stesso degli oppositori, domandiamo, se quella condizione di unità costituisca per le nazioni un bene così assoluto che senza di esso non vi sia per loro nè prosperità nè grandezzo ; o così superiore, che debba prevalere a qualunque altro. Risponde per noi il fatto di nazioni floridissime, potenti e gloriose, che pur non ebbero, nè hanno quella specie di unità che qui si vuole : e risponde altresì la ragion naturale che, nel conflitto, riconosce dover prevalere il bene della giustizia, primo fondamento della felicità e stabilità degli Stati ; e ciò specialmente quando esso sia collegato, come qui avviene, con l'interesse altissimo della religione e di tutta quanta la Chiesa. Dinnanzi al quale non è punto da esitare; chè se da parte della Provvidenza divina fu tratto di speciale predilezione verso l'Italia averle posto nel seno la grande istituzione del Pontificato, di cui qualunque nazione si sentirebbe altamente onorata, è giusto e doveroso, che gli italiani non guardino a difficoltà per tenerlo nella condizione che gli conviene. Tanto più che senza escludere in fatto altri utili ed opportuni temperamenti, senza parlare di altri beni preziosi, l'Italia dal vivere in pace col Pontificato vederebbe potentemente cementata l'unità religiosa, fondamento di qualunque altra, e fonte d'immensi vantaggi anche sociali.

nulla civilis humanitatis diminutio;

I nemici della Sovranità Pontificia fanno appello anche alla civiltà e al progresso. — Ma a bene intendersi fin sulle prime, solamente ciò che mena al perfezionamento intellettuale e morale o almeno ad esso non si oppone, può costituire per l'uomo vero progresso : e di questo genere di civiltà non v'ha sorgente più feconda della Chiesa, la quale ha la missione di promuovere sempre l'uomo alla verità e al retto vivere. Ogni altro genere di progresso, posto fuori di questa cerchia, non è in verità che regresso, e non può che degradare l'uomo e respingerlo verso la barbarie : e di questo nè la Chiesa, nè i Pontefici, sia come Papi, sia come Principi civili, potrebbero, per buona sorte dell'umanità, farsi mai i fautori. — Ma tutto ciò, che le scienze le arti e l'industria umana hanno trovato o possono trovar di nuovo per l'utilità e le comodità della vita; tutto ciò che favorisce

nam verae civilitatis promotores semper fuerunt Pontifices;

l' onesto commercio e la prosperità delle pubbliche e private fortune ; tutto ciò che è, non licenza, ma libertà vera e degna dell' uomo, tutto è benedetto dalla Chiesa e può avere larghissima parte nel principato civile dei Papi. E i Papi, quando ne fossero di nuovo in possesso, non lascerebbero di arricchirlo di tutti i perfezionamenti di cui è capace, facendo ragione alle esigenze dei tempi, e al nuovi bisogni della società. La stessa paterna sollecitudine, da cui furono sempre animati verso i loro sudditi, li consiglierebbe anche al presente a rendere miti le pubbliche gravezze ; a favorire colla più larga generosità le opere caritatevoli e gl' istituti di beneficenza ; a prendere cura speciale delle classi bisognose ed operaie migliorandone le sorti ; a fare, in una parola, del loro civil principato, anche adesso, una delle istituzioni meglio acconce a formare la prosperità dei sudditi.

15 IUNII 1887.

Contro la quale sarebbe vano accampare l'accusa di essere parto del medio evo. — Giachè avrebbe, come si è detto, i sani ed utili miglioramenti voluti dai tempi nuovi : e, se nella sua sostanza, sarebbe quello che fu nell'età di mezzo, cioè una sovranità ordinata a tutelare la libertà e l'indipendenza dei Romani Pontefici nell' esercizio della loro suprema autorità, che perciò? Il fine importantissimo, a cui essa serve, i vantaggi molteplici che ne ridondano per la tranquillità del mondo cattolico e la quiete degli Stati ; la maniera mite con cui si esercita ; l'impulso potente, che sempre ha dato ad ogni genere di sapere e di civile cultura, sono elementi, che convengono mirabilmente a tutti i tempi, siano essi gentili e tranquilli, o siano barbari e fortunosi. Sarebbe stoltezza voler sopprimerla per ciò solo che fiori nei secoli di mezzo. — I quali, per altro, se come tutte le epoche ebbero vizî e costumanze biasimevoli, ebbero pure pregî così singolari, che sarebbe vera ingiustizia disconoscerli. E più di ogni altro dovrebbe sapere apprezzarli l'Italia, che appunto nel corso di quei secoli nelle scienze, nelle lettere, nelle arti, nelle imprese militari e navali, nel commercio, negli ordinamenti cittadini raggiunse tanta altezza e celebrità che non potrà esser mai distrutta nè oscurata.

nulla aetatis ante actae, in iis quae minus probantur, renovatio.

Vorremmo, Signor Cardinale, che queste idee, derivate da considerazioni sì alte e che tengono conto di tutti gl'interessi legittimi, penetrassero sempre più nelle menti di tutti; e che quanti sono veri cattolici non solo, ma anche quanti amano di verace amore l' Italia, entrassero apertamente in queste Nostre viste e le secondassero. — Ad ogni modo, col promuovere la riconciliazione col Pontificato e coll' averne indicato le condizioni fondamentali, sentiamo di aver soddisfatto ad un Nostro dovere innanzi a Dio e agli uomini, qualunque siano gli avvenimenti che seguiranno.

Quanto a Lei, siamo certi, che vorrà sempre impiegare tutta la sua intelligente attività nell' esecuzione dei disegni, che in questa lettera Le abbiamo manifestato. — Ed affinchè l'opera sua torni di grande vantaggio alla Chiesa e di onore alla S. Sede, imploriamo in abbondanza sopra di Lei i lumi e gli aiuti del cielo. A pegno dei quali, ed in attestato di specialissimo affetto, Le impartiamo di cuore l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano 15 giugno 1887.

LEO PP. XIII.

ELENCHUS DOCUMENTORUM.

INDEX ANALYTICUS.

INDEX ALPHABETICUS
DOCUMENTORUM
UTRIUSQUE VOLUMINIS.

EPISTOLAE ENCYCLICAE.

LITTERAE APOSTOLICAE,

(sub plumbo.)

(sub annulo piscatoris.)

CONSTITUTIONES.

MOTU PROPRIO.

CONCORDATA.

ALLOCUTIONES CONSISTORIALES.

EPISTOLAE PONTIFICIAE.

ORATIONES.

INDEX ALPHABETICUS
MATERIARUM
UTRIUSQUE VOLUMINIS.

ERRATA.

V.	P.	L.			
I	34	32	bisogni	*lege*	disegni.
»	303	26	qua	»	quia.
»	304	30	civilitate	»	civitate.
II	149	6	vel	*deleatur.*	

Typis Societatis sancti Augustini. — Brugis.

Date Due